
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M13

L. CÆLII LACTANTII
FIRMIANI
DE IRA DEI

LIBER SINGULARIS AD DONATUM

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS; ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.





ROMÆ, cIↃ.IↃCC.LIX.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI, ET NICOLAI GROSSI
IN ÆDIBUS DE MAXIMIS.

SUPERIORUM PERMISSU.



Lento gradu ad vindictam sui divina procedit Ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Val.Max.L.1.Cap.1.Ex.3.

UNIGENITO ÆTERNI PATRIS FILIO

DEO, ET HOMINI,

DEUM INTER, ET HOMINEM

MEDIATORI,

UNIVERSI HUMANI GENERIS REPARATORI,

AC JUDICI IN FINE SÆCULI

ITERUM IN TERRAS VENTURO,

CUI

SECRETA CORDIUM PATENT OMNIA,

JUSTISSIMÆ IRÆ SUÆ VINDEX HUMILLIMUS

HOCCE SISTIT OPUS,

EJUS MISERICORDIAM DEPRECANS,

SIC DEINCEPS SIBI DARI VITAM TRADUCERE RELIQUAM,

UT EUM PROPITIUM SEMPER HABEAT,

ET NUMQUAM VEREATUR IRATUM,

FR. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.

H. M. P. M.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH *Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Bmæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem Sacri Montis Prior.*

TEnore præsentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Francisco Xaverio Sacerdoti Professo Provinciæ Nostræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum notis, & Dissertationibus suis a duobus e nostris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu nostro SS. Theresiæ, & Joannis a Cruce pridie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joseph.
Præpositus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

Divinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Caelio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatos, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S.Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos: quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, attentèque inſpexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur, a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blande adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro inſcripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quod in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſque ulla aſſentatio-

tatio-

tationis umbra me dixisse, memini, idipsum repetere, ac confirmare in hacce præsenti, jure debebam. Sic sentiebam ex Ædibus S.Patris Francisci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ salutis septingentesimo quarto supra millesimum.

Fr. Franciscus Antonius a Colle-Longo Ordinis Minorum Strictioris Observantiæ S.P.Francisci, Sac. Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Consultor.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

QUod auctoritate Sac.Palatii Apostolici Magistri, injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, scilicet, diligentia perlegens, Commentaria, & Dissertationes, quæ in singula Lactantii Firmiani opera elaboravit vir eruditione præstans Pater Eduardus Franceschini a S.Francisco Xaverio Excalceatus Carmelita. In his, magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, scribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inspexi; neque quidpiam, ullibi, observare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honestisque moribus repugnaret: quare si, publici juris fiant arbitror plurimam inde, legentibus utilitatem provenire posse. Romæ ex Monasterio S. Agnetis extra Muros Urbis die xv. Aprilis anni 1754.

D.Thomas Rita Præses, & L. Emeritus.

AP-

APPROBATIO OPERIS:

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæterisque Dotibus, quæ Authorum scripta commendant, abunde coruscant Commentaria, & Dissertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P.Eduardus Franceschini a S. Francisco Xaverio elucubravit, & non vulgari cum sui Nominis Gloria editurus est. Quapropter quum jubente Reverendissimo P.Mag.Sac.Pal.Apost. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adversetur, invenerim, Typis vulganda censeo. Romæ ipsis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joseph Morei Arcbadiæ
Custos Generalis.

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dom. Jordanus Archiep. Nicomediæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr.Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

L.CÆ-



L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI

DE IRA DEI AD DONATUM LIBER SINGULARIS

CAPUT I.

§. I. §



Nimadverti ſæpe, Donate [a], plurimos exiſtimare [b], quod etiam nonnulli philoſophorum putaverunt, non iraſci Deum, quoniam vel benefica ſit tantummodo natura divina, nec cuiquam nocere, præſtantiſſimæ, atque optimæ congruat poteſtati, vel certe nihil curet

omnino [c], ut neque ex beneficentia [d] ejus quicquam boni perveniat ad nos, neque ex maleficentia quicquam mali.

---

a *Animadverti sæpe, Donate*: Quis fuerit Donatus iste vide Diss. XIII. A. II. Cicero sic Paradoxa sua inchoat: *Animadverti sæpe*.

b *Plurimos id existimare*. Sic optime Cod. Bon. Schottus, & Al. *æstimare*. Ex hac legitima lectione minime apparet id, quod jam notaverat Betulejus: hunc scilicet librum non magis adversus Epicurum, quam adversus hæreses ex ejusdem doctrinis male subortas; puta Cerdonis, Marcionis, ac Valentini, adornatum a Lactantio fuisse: nam infra c. II. seg. 6. dicit, contra istos se disputaturum esse postea diligentius, quum nunc contra eos tantummodo disserat, qui de secundo gradu lapsi, prava de summo Deo sentiunt; nempe contra Epicureos, qui Providentiam ab ipso auferebant; Ideoque jure contra Deistas, in quorum gregem fere omnes hæreticorum sectæ sensim hisce temporibus dilabuntur, eum sumimus illustrandum. Quis enim in eorum, sive dogmatibus, sive moribus, Epicureorum sectam redivivam non videt?

c *Vel certe nihil curet omnino*: Sic Cod. Bon., & Schottus, & Aldus. Al. *nil curet*.

d *Ut neque ex beneficentia*. In Cod. Bon. post Tò *ex* aliqua ponuntur puncta, quæ solent esse indicia correctionis.


§ 2 §

Quorum error, quia maximus est, & ad

ad evertendum vitæ humanæ ſtatum ſpectat, coarguendus eſt nobis [a], ne & ipſe fallaris [b] impulſus authoritate hominum, qui ſe putant eſſe ſapientes.

---

a *Coarguendus eſt nobis*. Al. *a nobis*.
b *Ne & ipſe fallaris*. Abeſt a quibuſdam copula.



Nec tamen nos arrogantes ſumus [a], ut comprehenſam noſtro ingenio veritatem gloriemur: ſed doctrinam Dei ſequimur, qui ſcire ſolus poteſt, & revelare ſecreta.

---

a *Nec tamen nos arrogantes ſumus*: Thomaſ., & alii quidam ediderunt: *tam arrogantes*: quam particulam plerique, & meliores abjecerunt cum Aldo.



Cujus doctrinæ Philoſophi expertes, exiſtimaverunt naturam rerum [a] conjectura poſſe deprehendi. Quod nequaquam fieri poteſt: quia mens hominis tenebroſo corporis domicilio circumſepta [b], longe a veri perſpe-

---

a *Naturam rerum*. Sic Schottus, & Aldus. Al. addunt: *omnium*.
b *Tenebroſo corporis domicilio circumſepta*: Platoni-

ſpectione ſubmota eſt [c] : & hoc differt ab humanitate divinitas [d] , quod humanitatis eſt ignoratio , divinitatis ſcientia .

Un-

tonicam doctrinam verba iſta redolere ex Betulejo Gallæus , Walchius , & Langletius obſervarunt ; quaſi opponantur Apoſtolo dicenti 1. ad Cor. cap.III. ℣. 16. *Neſcitis , quia templum Dei eſtis , & Spiritus Dei habitat in vobis* . Et rurſus cap. v. ℣. 15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti* : Errant tamen ; nec Lactantii , aut Apoſtoli verba intellexiſſe videntur . Apoſtolus enim de Chriſtianis loquitur , qui per Baptiſmum , & per gratiam Chriſti , membra illius myſtici corporis fiunt , cujus ipſe caput eſt ; At Lactantius de Ethnicis loquitur , & de his , quibus Verbum Dei revelatum non eſt , vel eo ſe indigere non putant ad veram ſapientiam comparandam , eoſque non ſolum certum eſt , habere mentem tenebroſo corporis domicilio circumſeptam , ut minime valeant veritatis ſupernæ faciem aſpicere ; ſed *tenebras* eſſe , idem Apoſtolus declarat ad Epheſios ſcribens cap. v. ℣. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ , nunc autem lux in Domino* .

c *Longe a veri perſpectione ſubmota eſt* . Cod. Bon. habet : *a veri perfectione* . Al. *a Dei perfectione* , ſeu *perſpectione* Eligo Aldi, Thomaſ., Iſæi , aliorumque lectionem , quam confirmat idem Lactantius L. VII. cap. II. ſeg. 8. *mens hominis . . . . in tenebroſo domicilio incluſa ... neque clarius perſpicere veritatem poteſt* .

d *Et hoc differt ab humanitate divinitas* . Scilicet Hæc eſt Deum inter , & hominem differentia . Vide L.III.

Lib. III. cap. xiv. Et bene Bunem. hanc sententiam ex eodem Lib. cap. vi. illustrat; ubi Lactantius ait: *Neque te omnia scire putes; quod Dei est; neque omnia nescire; quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis. Id est, scientia, cum ignoratione conjuncta.*



Unde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa [a] est hominis cogitatio, quoniam in carne mortali agentes de nostris sensibus [b] divinare non possumus.

a *Quibus offusa est*. In Cod. Bon. punctis Tò *offusa* distinguitur; non tamen puto mutandum cum *effusa*, aut cum *officia*, ut habent quidam alii Codd. Mss. & editi nonnulli.

b *Nostris de sensibus*: Sic in Cod. Bon., & Aldino, ubi Tò *de* idem valet, ut bene obserat Bunem. ac *ex* scilicet *ex nostris sensibus, ex nobis; per nos*: quod sæpe habet Lactantius. Vide ad prologum Symposii ℣. 1. &c.



Lumen autem mentis humanæ Deus est: quem qui cognoverint, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet; remoto autem Deo [a] cæ-

lestique doctrina omnia erroribus plena sunt; recteque Socrates, [b] quum esset omnium philosophorum doctissimus, tamen ut cæterorum argueret scientiam[c], qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait: *se nihil scire*, [d] *nisi unum, quod nihil sciret*.

a *Remoto autem Deo*. In Bon. *Dom.* Scilicet *Domino*. quæ verba passim confusa in nostro reperiuntur Codice.

b *Recteque Socrates*. Al *recte ergo Socrates*. Al. *Itaque Socrates*. Vide de eo ad Lib. III. cap. 3. seg. 7.

c *Scientiam*. Sic in cod. Bon. Al. *inscitiam*. Al. *insaniam*. Al. *inscientiam*. Ironice *scientiam* vocat Philosophorum petulantiam.

d *Se nihil scire* &c. Apud Platon. *in Apol. Socr.* & apud Cicer. L. I. & IV. *Acad. quæst.*

7

Intellexit enim. Doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil [a] veri: nec, ut putabant quidam, dissimulavit ipse doctrinam [b], ut alios refelleret, sed vidit ex parte aliquam veritatem[c]; testatusque est[d] etiam in judicio (sicut

a *Nec, ut putabant quidam, dissimulavit*. Heum. *putant*. Al. *simulavit*.

b *Ipse doctrinam*. Sic in Cod. Bon., & Aldino. Al. *ipsam doctrinam*.

c *Ex parte aliquam veritatem*. Sic edo ex Bon. Cod. Al. *ex parte aliqua*.

cut traditur à Platone) quod nulla esset humana sapientia : adeoque doctrinam [e], qua tum Philosophi gloriabantur, contempsit, derisit, abjecit [f]; ut id ipsum pro summa doctrina profiteretur; quod nihil scire didicisset.

---

d *Testatusque est*. Aldus etiam sic legit. Al. *testatus est*.

e *Adeoque doctrinam*. Sic Nostr. Cod. Bon. antiquior. Longobard. autem, teste Aldo, legit *adeo*, ut etiam vidit Isæus, qui dixit abesse copulam, & aliis secum errandi ansam dedit, quod sæpe factum est ex omissione designationis codicum Bononiensium.

f *Contempsit*, *derisit*, *abjecit*. Asyndeton ad imitationem Cicer. *abiit*, *erupit*, *evasit* &c.

8

Si ergo nulla est sapientia humana, ut Socrates docuit, ut Plato tradidit, apparet esse divinam, nec ulli alii [a], quam Deo, veritatis notitiam subjacere.

---

a *Nec ulli alii*. Sic omnes præter unum Ottobonianum Mss. Cod. num. 136. ubi legitur: *nec villanis*.

9

Deus igitur noscendus est, in quo solo veritas est [a]. Ille mundi parens, & condi-

tor rerum, qui oculis [b] non videtur, mente vix cernitur, cujus religio multis modis impugnari solet [c] ab iis, qui neque veram sapientiam tenere potuerunt, neque magni, & cælestis arcani comprehendere rationem.

a *In quo solo veritas est*. Al. *sola veritas*.
b *Qui oculis*. Bon. *quia oculis*.
c *Multis modis impugnari solet*: Prima duo verba in Isæna editione desunt.

CAP. II.



NAm quum sint gradus multi, per quos ad domicilium veritatis ascenditur, non est facile cuilibet evehi ad summum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere [a] non possunt, revolvuntur in planum.

a *Stabilem gressum tenere*. Cod. Ottob. 136. *stabilem Græcum habere*.



Primus autem gradus est, intelligere falsas religiones, & abjicere impios cultus Deorum, humana manu fabricatorum [a]. Secun-

cundus vero, perſpicere animo, quod unus ſit Deus ſummus, cujus poteſtas, ac providentia fecerit[b] a principio mundum, & gubernet in poſterum. Tertius[c], cognoſcere miniſtrum ejus, ac nuncium[d], quem legavit in terram, quo docente liberati ab errore, quo implicati[e] tenebamur; formatique ad veri Dei cultum, juſtitiam diſceremus.

---

a *Abjicere impios cultus Deorum, humana manu fabricatorum*. Bon. Tò *Deorum* non habet. Al. *fabricatos*. Male; nam non cultus; ſed Idola manu fabricabantur.

b *Ac providentia fecerit*. Al. *effecerit*. Aldus legit nobiſcum.

c *Tertius*. Bon. *Tertio*.

d *M.niſtrum ejus, ac nuncium*. Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum, qui & ſi Deus verus, & homo verus; ab Apoſtolo tamen Legatus, Nuncius, Angelus magni conſilii, & Miniſter aliquando appellatus eſt ratione officii, quo fungi dignatus eſt, profitendo Matth. xx. ℣. 28. *Filius hominis non venit miniſtrari*; ſed *miniſtrare* &c.



Ex quibus omnibus gradibus (ut dixi) pronus eſt lapſus, & facilis ad ruinam, niſi pedes inconcuſſa ſtabilitate figantur.[a]

De

---

a *Figantur*. Al. *defigantur*. Al. *configantur*. Vide L. IV. cap. XXX. ſeg. 4.

4

De primo gradu eos excuti videmus, qui, quum falsa intelligant, tamen verum non inveniunt[a]: contemptisque terrenis, fragilibusque simulacris, non ad colendum se Deum conferunt, quem ingnorant, sed mundi elementa mirantes[b], cælum, terram, mare, solem, lunam, cæteraque astra venerantur. Sed imperitiam horum jam coarguimus in secundo divinarum institutionum libro.

a *Tamen verum non inveniunt*. Al. *tamen vera*.
b *Elementa mirantes*. Intellige potiores mundi partes. Vide Lib. II. cap. v. & seq.

5

De secundo vero gradu eos dicimus cadere, qui quum sentiant[a], unum esse summum Deum: iidem tamen a Philosophis irretiti, & falsis argumentationibus capti, aliter de unica illa majestate sentiunt, quam veritas habet, qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut nullo affectu[b] commoveri

a *Qui quum sentiant*. Al. *qui consentiant*.
b *Qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut nullo affectu commoveri putant*: Schottus *putant habe-*

veri putant [c] ,quia ſit hominis imbecillitatis, quæ in Deo nulla eſt [d] . De

---

habere .... commoveri negant. Errant, qui exiſtimant, Lactantium noſtrum, Deo figuram corpoream, & quantitativam verbis hiſce impie affinxiſſe, quum ſæpe in libris Inſtit. Divin., præſertim L. II. cap. IX. L. VI. c. ultim. Lib. VII. cap. III. IX. & XXI. eum non ſolum aſſerat, verum etiam aperte demonſtret, omni quocumque corpore expertem eſſe, illoſque refellat, qui mundum, ſeu materiam, ex qua mundus conſtat, ejus corpus eſſe dicebant: vide L. VII. cap. III. ſeg. 4. Pro figura ergo heic Firmianus intelligit potentiam rerum omnium effectricem, ſeu potius, ideam totius operis faciendi, quæ in Divinis Deus ipſe ſubſtantialiter eſt,Patri coæternus filius, pluribus nominibus appellatus, per quem, ut inquit S. Johan. cap. 1. *Omnia facta ſunt*. Scilicet *Verbum divinum*, *divina ſapientia*, *Imago Dei Patris*. *Bracchium Dei*: *Dei figura* &c. Ut docet S. Iſidor. Orig. L. VII. c. 2. *Figura Dei eſt*, *quia ſuſcipiens formam ſervi*, *operum*, *virtutumque ſimilitudinem*, *Patris in ſe imaginem*, *atque immenſam magnitudinem deſignavit*. Diſputat enim Firmianus contra eos Philoſophos, quorum opinio ideas rerum; ſive exemplaria creaturarum, extra Deum ponebat; ut videre eſt apud Auguſt. L. VIII. *de Civit. Dei* cap. XXVIII. & L. XII. cap. XXV. Vide etiam Interpretes Epiſtol. ad Hebr. cap. 1. ℣. 3. ubi Apoſt. Verbum divinum appellat. *Figuram ſubſtantiæ Dei*; nec repugnat ſi de Chriſto Domino, propter ea, quæ ſequuntur, effatum hocce intelligatur, ut ſuo loco demonſtrabimus. Vide Diſſ. XXXIV. cap. II. §. III. nec non quæ annotantur infra cap. XVIII. ſeg. 13.

c *Aut nullo affectu*. Sic in Cod. Bon. Al. *aut ullo affectu*. Hoc est: *curæ non habere quicquam*.

e *Quia sit hominis imbecillitatis, quæ in Deo nulla est*. Sic in Bon. Cod. Al. omnes legunt: quia *sit omnis affectus imbecillitatis, quæ* &c. Al. *effectus*.

6

De tertio vero ii præcipitantur, qui, quum sciant legatum Dei, eundemque divini, & immortalis templi conditorem [a], tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt, quam fides poscit; quos ex parte jam refutavimus [a] in quarto supradicti operis libro; & refutabimus postea [c] diligentius, quum respondere ad omnes sectas cœperimus, quæ veritatem, dum disputant perdiderunt [d]. Nunc

a *Divini, & immortalis templi conditorem*. Scilicet Ecclesiæ.

b *Quos ex parte jam refutavimus*. Bon. *quod ex parte* &c. Vide IV. cap. X. & seq.

c *Et refutabimus postea*. Quod tamen morte præventus implere non potuit: etsi idem promisisset L.IV. cap.XXX. Bunem.gratis afferit hocce opus intercidisse.

d *Quæ veritatem, dum disputant, perdiderunt*. Al. *dum dissipant*; sed male; nam de iis heic sermo est, qui ea, quæ credi debent, disputationibus subjiciunt, quibus potius veritatem dissipant, quam colligant. Vide ad L. VII. cap. III. seg. 9.

7

Nunc vero contra eos differimus[a], qui de fecundo gradu lapfi prava de fummo Deo fentiunt. Ajunt enim quidam[b], nec gratificari eum cuiquam, nec irafci, fed fecurum, & quietum immortalitatis fuæ bonis perfrui.

a *Contra eos differimus*. Al. *differemus*.
b *Ajunt enim quidam*. Bon. *fentiunt enim* &c.

8

Alii vero[a] iram tollunt, gratiam relinquunt Deo: naturam enim fumma virtute præftantem, ut non maleficam, fic beneficam[b] effe debere: ita omnes Philofophi de ira confentiunt, de gratia difcrepant.

a *Alii vero*. Al. *Illi vero*.
b *Ut non maleficam, fic beneficam*. Al. *& non maleficam*; fed prave; nam Tò *ut* heic valet: *ficuti*.

9

Sed ut ad propofitam materiam per ordinem defcendat oratio, hujufmodi facienda nobis, & exequenda partitio eft[a]. Quum di-

a *Et exequenda partitio eft*: Aldus: *& fequenda* &c.

diversa, & repugnantia sint ira, & gratia: Aut ira tribuenda est [b] Deo, & gratia detrahenda, aut utrunque pariter detrahendum [c]. Aut ira demenda est, & gratia tribuenda, aut utrumque tribuendum.

Aliud

---

da.&c. Partitio orationibus in primis necessario adhibenda, ut clara, & perspicua fluat oratio.

b *Aut ira tribuenda est*. Betulejus heic ait: *Tu hanc initio rationem. Gratia, seu* χρηστότητα *proprium Dei opus esse, ut qui fons omnis bonitatis est, & ab initio bona omnia fecit. Dum vero malum, quod Diaboli technis in mundum irrepsit, punit, non suum; sed alienum facit officium. Sanctis siquidem, ut in Psal.* XVII. *est: Sanctus est Dominus: pravis autem pervertitur. Id est, affingit sibi habitum pro meritis cujusque improbitatis*: Sed errat, nam quamvis etiam Genebrardus ad laudatum Psalsi versiculum dicat; Deum quodammodo vim inferre ingenio suo ad clementiam facto quum in impios sævit; non ideo tamen alienum a Deo officium exercet, quum reprobos punit. Justitia quippe punitiva virtus est, supremo Domino convenientissima, ideoque idem Psalmista sæpe Deum: *Judicem justum appellat: & gloriose magnificatum fuisse*, inquit Moses Exod. xv. ℣. 1., & 21. quum *Equum*, & *Ascensorem dejecit in mare*.

c *Aut utrumque pariter detrahendum*. Al. Tò *pariter*, omittunt. Al. *aut neutrum detrahendum*; quæ lectio cum sequentibus repugnat: nostra autem confirmatur ex seg. 1 Capitis IV. hujusce libri, ubi de Epicuri sententia sermo fit.



Aliud amplius præter hæc nihil poteſt [a] capere natura [b], ut neceſſe ſit [c], in uno iſtorum aliquo verum, quod quæritur, inveniri. Conſideremus ſingula, ut nos ad latebras veritatis & ratio, & ordo deducat.

a *Aliud amplius præter hæc nihil poteſt* &c. Schot. *non poteſt*. Aldus nobiſcum legit. Al. *præter hoc*.
b *Capere natura*. Al. interſerunt *vera*.
c *Ut neceſſe ſit*. Bon. *quod neceſſe ſit*.


CAP. III.



PRimum illud [a] nemo de Deo dixit unquam iraſci eum tantummodo, gratia non moveri [b]: eſt enim inconviens [c] Deo, ut ejuſmodi poteſtate ſit præditus, quæ noceat, & obſit: prodeſſe vero, ac benefacere nequeat.

Quæ

a *Primum illud* &c. Sic ratio dicendorum omnino poſtulat, quamvis in Bon. Cod. ſit: *primum aliud*. Al. *primum autem illud*.
b *Iraſci eum tantumodo, gratia non moveri*. Al. *&* *gratia*.
c *eſt enim inconveniens*. Al. *diſconveniens*: Aldus legit nobiſcum.



Quæ igitur ratio, quæ ſpes ſalutis hominibus propoſita eſt, ſi malorum tantummodo author eſt Deus? [a] Quod ſi ſit [b], jam majeſtas illa venerabilis, non ad judicis poteſtatem, cui licet ſervare, ac liberare; ſed ad tortoris, & carnificis officium deducitur [c].

a *Si malorum tantummodo author eſt Deus?* Al. *auctor, & ultor eſt Deus?*
b *Quod ſi ſit*. Bon. *quod ſi ſit*.
c *Sed ad tortoris, & carnificis officium deducitur.* Bon. *ad tortores, & carnifices*. Sæpe *e* pro *i* ponit. Al. *deducetur*.



Quum autem videamus, non modo mala eſſe [a] in rebus humanis; ſed etiam bona: utique ſi Deus eſt author malorum, eſſe alterum neceſſe eſt, qui contraria Deo faciat [b] & det nobis bona. Si

a *Non modo mala eſſe*. Al. *male eſſe*.
b *Utique ſi Deus eſt author malorum, eſſe alterum neceſſe eſt, qui contraria Deo faciat* &c. Hæc legitima noſtri Cod. lectio. Al. cum Iſæo. *Utique ſi Deus non eſt, authorem eſſe alterum* &c. Aldus legit nobiſcum.

§ 4 §

Si est, quo nomine appellandus est? aut cur nobis [a], qui male facit [b], notior est, quam ille, qui bene? Si autem nihil potest esse præter Deum, absurdum est, & vanum, divinam putare potestatem, qua nihil est majus, nihil melius [c], nocere posse, prodesse non posse [d], & ideo nemo extitit, qui auderet id dicere, quia nec rationem habet, nec ullo modo potest credi.

---

a *Aut cur nobis*. Al. *cur ille nobis*.

b *Qui male facit*. Al. *qui male faciat*. Al. *malefacit*.

c *Qua nihil est majus, nihil melius* &c. Bon. *in qua nihil est malum, nihil melius*. Quæ stare non possunt, nisi post malum addas, *qua*, quod forte excidit; ita ut legendum sit: *in qua nihil est malum, & qua nihil est majus, nihil melius*.

d *Nocere posse, prodesse non posse*. Tria hæc ultima verba ab aliquibus omittuntur.

e *Qui auderet id dicere*. In Bon. Cod. Τὸ *id* punctis, more corrigendorum, notatur.

§ 5 §

Quod quia convenit [f], transeamus, & veritatem alibi requiramus.

---

a *Quod quia convenit*. Sic Cic. de Invent. c. 11. *quid*

Quid factum sit convenit. L. 1. *de Nat. Deor. conveniat id quoque*. I. e. quia id omnes fatentur. Noster *de Opif. Dei* cap. XVII. seg. 2. *inter philosophos convenit*.

C A P. I V.



Quod sequitur, de schola Epicuri est [a], *sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem* [b]. Nam quum putaret Epicurus alienum esse a Deo, male facere [c], ac nocere [d], quod ex affectu iracundiæ plerunque nascitur: ademit ei etiam bene-

a *De schola Epicuri est*: Bon. *de scola* sine adspiratione. De Epicuro, ejusque schola vide, quæ diximus ad Lib. de *Opif. Dei* cap. II. div. Inst. Lib. I. cap. II. L. III. cap. VII. Epit. XXXIII. sententia autem hæc Epicureorum, habetur apud Lucretium L. I. ỽ. 57.

b *Nec gratiam quidem*. Al. *ne gratiam* &c. Sic Schottus.

c *Male facere*. Al. *malum facere*. Al. *mala facere*. Al. *malefacere*.

d *Ac nocere*: Isæus hæc omisit. Al. legunt: *atque nocere*.

e *Ademit ei etiam beneficentiam*. Sic Vaticani, & typis editi fere omnes, quamvis in Bon. *etiam ei adimit* &c.

neficentiam [e], quoniam videbat consequens esse, ut si habat iram Deus, habeat & gratiam [f].

f *Ut si habeat iram Deus, habeat & gratiam.* Davisius *ad Cæsar. L. II. de Bello Gall.* cap. XIX. corrigit: *Ut si habeat gratiam Deus, habeat, & iram.* Vide Menag. ad Laert. L.X. seg. 77.

2

Itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. *Ex hoc*, inquit, [a], *beatus, & incorruptus est, quia nihil curat, neque habet ipse negotium, neque alteri exhibet.*

a *Ex hoc, inquit.* Scilicet Epicurus apud Cicer. *de Nat. Deor.* L.I., & apud Tertull. c.XLVI. Apolog.

3

Deus igitur non est [a], si nec movetur, quod est proprium viventis: nec facit aliquid impossibile homini, quod est proprium Dei, si omnino nullam habet voluntatem, nullum actum, nullam denique administrationem, quæ Deo digna sit.

a *Deus igitur non est, si non movetur* &c. Vide dicta ad Lib. II. cap. IV. Al. VIII. seg. 33.

4

Et quæ major, quæ dignior administratio Deo assignari potest [a], quam mundi gubernatio, *quam cura viventium* [b], & maxime generis hnmani [c] cui omnia terrena subiecta sunt?

a *Et quæ major, quæ dignior administratio Deo assignari potest* &c. Al. aliis omissis: *Et quæ dignior* &c. Al. *quæ melior*. Bon. *signari*: pro *assignari*.
b *Quam cura viventium*. Hæc desunt in nostro Bon. Cod. sed in aliis omnibus, quos vidimus, extant.
c *Et maxime generis humani*. Al. *maximeque*. Lego cum Aldo ex altero Bon. Cod. Longobardico.

5

Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, & immobilis torpet [a], si precantibus surdus, si colentibus cœcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia?

a *Immobilis torpet*. Al. *immobile optet*.

6

Sed si nihil curat, nihil providet [a], ami-

a *Sed si nihil curat, nihil providet* &c. Al. *sed si nihil providet*. A l. secundum *nihil* omittunt.

amisit omnem divinitatem [b]. Qui ergo totam vim, totam Deo substantiam [c] tollit, quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse?

b *Omnem divinitatem*. Al. *dignitatem*.
c *Totam Deo substantiam*. Heum. marte suo: *Dei substantiam*. Bon. *substantiam Deo*.

7

Denique M. Tullius a Posidonio dictum refert, id Epicurum sensisse: *nullos Deos esse, sed ea, quæ de Diis locutus sit, depellendæ invidiæ caussa dixisse: itaque verbis illum Deos relinquere, re autem ipsa tollere* [b], *quibus nullum motum, nullum tribuit officium*.

a *M. Tullius a Posidonio dictum refert*. In Cod. Bon. *ad Possidium*; sed prave; nam Cicer. L. I. de *Nat. Deor.* cap. XLIV. ait: *Familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in Lib. v. de Nat. Deor.: nullos esse Deos Epicuro videri; quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia dixisse*: Lege *depellendæ gratia*, ut heic habet Lactantius.
b *Re autem ipsa tollere*. Cic. ibidem, & cap. XXXI. ejusdem libri.

8

Quod si ita est: quid eo fallacius [a]? quod a sapiente, & gravi viro debet esse

alienum. Hic vero si aliud sensit, & aliud locutus est, quid aliud appellandus est, quam deceptor, bilinguis [b], malus, & propterea stultus?

a *Quid eo fallacius?* Al. *quid eo facilius?*
b *Deceptor, bilinguis*. Vide Servium ad Virg. æn. I. ℣. 665. *Tyriosque bilingues*.

9

Sed non erat tam versutus Epicurus, ut fallendi studio ista loqueretur, quum hæc scriptis ad æternam memoriam consignaret [a]; sed ignorantia veritatis erravit: inductus enim a principio, seu verisimilitudine unius falsæ sententiæ [a], necessario in ea, quæ sequebantur, incurrit.

a *Quum hæc*. Schottus. *quum etiam*.
b *Ad æternam memoriam consignaret*. Al. *consignemus*.
c *Inductus enim a principio, seu similitudine unius falsæ sententiæ*. Al. Tò *seu*, & Tò *falsæ* omittunt. Al. pro *inductus* legunt *inductos*. In Bon. autem Tò *seu* postpositum est, ita exaratum ut *ſ* superius sit positum, infra vero *eu*.

10

Prima autem sententia [a] fuit: *iram Deo non*

non convenire [b]. Quod quum illi verum, & inexpugnabile videretur, non poterat consequentia resecare [c], quia uno affectu amputato, etiam cæteros affectus adimere Deo necessitas ipsa cogebat.

---

a *Prima autem sententia*. Al. *Prima enim*. Al. *Primum*.

b *Iram Deo non convenire*. Bon. *in Domino*. Al. *Deo*. Al. *ira Deo non* &c.

c *Non poterat consequentia resecare*. Sic optime Cod. Bon. Al. *recusare*. Al. *recusari*. Al. *refutare*.

11

Ita qui non irascitur, utique nec gratia movetur, quod est iræ contrarium. Jam si non ira in eo, nec gratia est, utique nec metus, nec lætitia, nec mæror, nec misericordia [a].

---

a *Jam si nec ira in eo, nec gratia est, utique, nec metus, nec lætitia, nec mæror, nec misericordia*. In Bon. deest Tò *est*, & *se* pro *si*, legitur. Al. *jam* non habent. Nonnulli *Jam sic non ira* &c.

12

Una est enim ratio cunctis affectibus, una commotio, quæ in Deum cadere non potest [a]. *Quod si nullus affectus in Deo est, quia*

 quic-

quicquid afficitur [b] , *imbecillum est : ergo nec cura ullius rei, nec providentia est in eo* [c] .

---

a *Quæ in Deum cadere non potest* . Al. *cadere potest* . Bon. *in Deo* . Al. *non possunt* .
b *Quia quicquid afficitur* Bon. *quicquid agitur* .
c *Nec providentia est in eo* . Schottus *in Deo* .

13

Hucusque pervenit sapientis hominis [a] , disputatio : cætera , quæ sequuntur , obticuit, scilicet , quia nec cura sit in eo , nec providentia : ergo nec cogitationem aliquam , nec sensum in eo esse ullum; quo efficitur, ut non sit omnino . Itaque quum gradatim descendisset , in extremo gradu restitit [b] , quia iam præcipitium videbat .

---

a *Sapientis hominis* . Scilicet Epicuri per ironiam sic appellati a Nostro , ut Lucretium vellicet , qui Epicureæ sapientiæ laudes tantopere extollit , ut eo sapientior nullus fuisse videatur .
b *In extremo gradu restitit* . Al. *constitit* . Al. *perstitit* .

14

Sed quid prodest reticuisse , ac periculum dissimulasse ? Necessitas illum vel invitum cadere coegit . Dixit enim , quod noluit :

luit: quia argumentum sic ordinavit, ut ad illud, quod evitabat, necessario deveniret. Vides igitur quo perveniat [a], ira sublata, & Deo adempta [b].

a *Quo perveniat*. Nempe idem Epicurus. Al. *perveniatur*.

b *Et Deo adempta*. Al. addunt: *gratia*.

15

Denique aut nullus id credit, aut admodum pauci, & quidam scelerati, ac mali, qui sperant peccatis sui impunitatem.[a] Quod si & hoc [b] falsum esse invenitur [c], nec iram in Deo esse, nec gratiam; veniamus ad illud, quod tertio loco positum est.

a *Qui sperant peccatis suis impunitatem*. Hi sunt, qui apud Eccl. v. ℣. 4. dicunt. *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* cui ille reponit: *Altissimus est patiens redditor* &c.

b *Quod si & hoc*. Al. copulam omittunt.

c *Falsum esse invenitur*. Tò *esse* in quibusdam deest.

C A P. V.

1

EXistimantur Stoici [a], & alii nonulli, aliquanto melius de divinitate [b] sensisse, qui

qui ajunt, *gratiam in Deo esse: iram non esse*.

a *Existimantur Stoici*. Vide Lipsium *in Manuduct. ad Philosoph. Stoicam* de Deo, & ejus attributis agentem, & Senecam L. II. *de ira*.
b *De divinitate*. Al. *de divinatione*.



Favorabilis, ac admodum [a] popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem [b], ut ab ullo se læsum putet, qui lædi non potest: ut quieta illa, & sancta majestas concitetur, perturbetur, insaniat: quod est terrenæ fragilitatis. Iram enim, commotionem mentis esse, ac perturbationem [c], quæ sit a Deo aliena.

a *Favorabilis admodum*. Cellario Tò *admodum* non placet, sicuti nec Walchio Tò *favorabilis*, sufficiat tamen latine loquentibus, secundam vocem, eodem sensu acceptam placuisse Tacito, nec a prima aliquem abhorruisse ex caste loquentibus.
b *Animi pusillitatem*. Al. *pusillanimitatem*.
c *Ac perturbationem*. Al. addunt *animi*.



Quod si hominem quoque, qui modo sit sapiens, & gravis, ira non deceat, siquidem, quum in animum cujusquam incidit, velut

lut sæva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet [a] nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens; quanto magis [b] Deum non deceat tam fœda mutatio?

---

a *Alternis vultum maculet*. Scilicet *per vices*. Al. *alterius*. Al. *alternus*. Svetonius in Augusto cap. LXXXII. Ut manus, ac pedes alternis jactaret.
b *Quanto magis*. Schottus: *quo magis*.

♔ 4 ♔

Et si homo, qui habet imperium, ac potestatem, late noceat per iram, sanguinem fundat, urbes subvertat, populos deleat, provincias ad solitudinem redigat: quanto magis Deum, qui habeat totius generis humani, & ipsius mundi potestatem, perditurum fuisse universa *credibile sit* [a], si irasceretur?

---

a *Credibile sit*. Hæc equidem in Bon. Cod. non reperio, ac ab editionibus Thomasiana, & Isæana, & quibusdam antiquioribus desunt. Videntur tamen Bunemanno necessaria, quamvis Heumannus censet *Sane abesse posse, idque eleganter. Imo vitiari latinitatem Sermonis, ideoque merito rejici; digniora quippe quopiam medii ævi Monacho, quam Lactantio*. Langletius, qui post Heum. Lactantii opera edidit, ex

ex XII. Mss. retinuit, & tamen Monachus non est: Walchius ante ipsum: *hoc*, ait, *credibile est*, *&* *Codd. Mss.*, *&* *editiones antiquiores habent*. *A vulgaribus abest*. vulgares ergo secutus est Heumannus, odio Monachorum, quicquid ab illis processisse suspicatus, temere respuens, ac gratis de more condemnans.

5

Abesse igitur ab eo tam magnum, tam perniciosum malum oportere, & si absit ab eo ira, & concitatio [a], quia & deformis, & noxia, est, nec cuiquam malefaciat: nihil aliud superesse [b], nisi ut sit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conservator.

a *Ira*, *&* *concitatio*. Al. *ira ratio*.
b *Nec cuiquam malefaciat*, *nihil aliud superesse*: Al. *malefaciet*. Al. *malefacit*.... *superest*.

6

Ita enim demum & communis omnium pater, & optimus, & vere maximus [a] dici poterit, quod expetit divina, cœlestisque natura. Nam

a *Et vere maximus*. Bon. *&* *vere maximusque*. Al. *optimus*, *maximus*. Forte, *optimus*, *maximusque*.

7

Nam si inter homines laudabile videtur, prodesse potius, quam nocere: vivificare, quam occidere: salvare, quam perdere [a], (nec immerito [b] innocentia inter virtutes numeratur) & qui hæc fecerit diligitur, præfertur, ornatur [c], benedictis omnibus, votisque celebratur: denique ob merita, & beneficia Deo simillimus judicatur: quanto magis ipsum Deum, par est divinis, perfectisque virtutibus præcellentem, atque ab omni terrena labe summotum, divinis, & cælestibus beneficiis omne genus hominum promereri [d]?

---

a *Salvare, quam perdere*. Schott. *servare quam* &c.

b *Nec immerito*. Al. *unde innocentia merito*.

c *Diligitur, præfertur, ornatur*. Sic Bon. & Schot. Al. *honoratur*.

d *Omne genus humanum promereri?* Post *Τὸ humanum*, puncta quædam apposita sunt in Cod. Bon., & Heum. legendum putat. *demerendum*.

8

Speciose ista, populariterque dicuntur, & multos illiciunt ad credendum: sed qui hæc sentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt: sed in parte labuntur [a], naturam rei

rei [b] parum confiderantes. Nam fi Deus non irafcitur impiis, & injuftis: nec pios utique, juftofque diligit [c].

a *Sed in parte labuntur*. Bon. *in partem*.

b *Naturam rei*. Bon. *detritam* exhibet lectionem. Al. *naturam Dei*.

c *Nec pios utique, juftofque diligit*. In Cod. Bon. ftatim additur, *& malos diligit*: omiffis omnibus, quæ mediant, quod factum effe videtur ex repetitione ejufdem verbi *diligit*, ofcitantia amanuenfis Librarii non obfervati.

9

Ergo conftantior eft error illorum, qui & iram fimul, & gratiam tollunt. In rebus enim diverfis aut in utranque partem moveri neceffe eft, aut in neutram [a].

a *Aut in neutram*. Al. præpofitiouem omittunt.

10

Itaque qui bonos diligit, & malos odit: & qui malos non odit, nec bonos diligit [a], quia & diligere bonos, ex odio malorum venit: & malos odiffe, ex bonorum charitate defcendit [b]. Ne-

a *Itaque qui bonos diligit, & malos odit; & qui malos non odit nec bonos diligit*. Al. *Ita qui bonos diligit, & malos non odit, nec bonos diligit*.

b *Charitate*: cum afpiratione antiqui, & recentiores omnes boni legunt, in hoc fenfu. Scioli fine afpiratione.

✠ 11 ✠

Nemo eſt, qui amet vitam ſuam ſine odio mortis [a], nec appetat lucem [b], niſi qui tenebras fugit. Adeo naturæ iſta connexa ſunt [c], ut alterum ſine altero fieri nequeat.

---

a *Nemo eſt, qui amet vitam ſine odio mortis*. Al. *amat*. Al. addunt: *ſuam*.

b *Nec appetit lucem* &c. Iſæus: *qui appetat lucem* &c.

c *Connexa ſunt*. Al. *connexa eſt*.

✠ 12 ✠

Si quis Dominus habens [a] in familia ſervos, bonum, ac malum: non utique aut ambos odit, aut ambos beneficiis, & honore proſequitur: quod ſi faciet [b], & iniquus, & ſtultus eſt: ſed bonum & alloquitur amice, & ornat, & domui, ac familiæ, ſuiſque omnibus rebus [c] præficit: malum vero maledictis,

---

a *Si quis Dominus habens* &c. Hanc lectionem Schotto debemus, pro qua alii omnes hactenus incongrue legerunt: *Si quis Dominus* &c.

b *Quod ſi faciet*. Al. *facit*. Al. *faciat*. Al. *fecerit*.

c *Suiſque rebus omnibus*. Iſæus ſecundam vocem omiſit. Al. eam poſtponunt.

dictis, verberibus, nuditate, fame, siti [d], compedibus punit: ut & hic exemplo cæteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum, ut alios metus coërceat, alios honor provocet.

d *Verberibus, nuditate, fame, siti* &c. S. Cyprianus Demetrianum objurgans, hæc eadem illi exprobrat.

13

Qui ergo diligit, & odit: & qui odit, & diligit: sunt enim, qui diligi debeant: sunt qui odio haberi [a].

a *Sunt enim qui diligi debeant, & sunt qui odio haberi*. Al. statim post debeant, omissis *& sunt*: legunt, ut sequitur. Qui jubemur inimicos diligere, neminem odisse debemus. Et iccirco heic Tò *odio haberi* intelligi debet eo sensu, quo apud S. Lucam in Evangel. cap. XIV. ℣. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, &c. & Psal. CXVIII. ℣. 113. *Iniquos odio habui* &c.

14

Et sicut is, qui diligit, confert bona in eos, quos diligit: ita qui odit, irrogat mala iis, quos odio habet [a], quod argumentum, quia

a *Irrogat mala iis, quos odio habet*. Legem Chri-

quia verum est, dissolvi nullo pacto potest.

Christi prævaricantes, qui præcepit fidelibus suis, ut benefacerent iis, qui eos oderunt. Luc.VI. ℣.27. Tria postrema verba in nostro Mss. Cod. non habentur.

15

Vana ergo, & falsa est sententia eorum, qui quum alterum Deo tribuant, alterum detrahunt, non minus, quam illorum, qui utrumque detrahunt [a]. Sed illi [b] (ut ostendimus) ex parte non errant; sed id quod melius est ex duobus retinent. Ii verò [c], quos ratio, & veritas argumenti hujus inducit, falsa omnino sententia suscepta [d], in maximum errorem cadunt.

a *Qui quum alterum Deo tribuant, alterum detrahunt; non minus quam illorum, qui utrumque detrahunt*. Bon. *Non minor illorum* &c. Al. *qui alterum tribuunt .... Non minus quam quod* &c.

b *Sed illi*. Scilicet Stoici.

c *Ii vero*. Nempe Epicurei, qui *utrumque detrahunt*.

d *Falsa omnino sententia suscepta*. Al. *ob falsa suscepta*.

16

Non enim sic oportebat eos argumenta-

ri : Quia Deus non irascitur, ergo nec gratia commovetur; sed ita : Quia Deus gratia movetur, ergo & irascitur. Si enim certum, & indubitatum fuisset, non irasci Deum, tunc ad illud alterum [a] veniri, esset necesse.

a *Tunc ad illud aliud*. Bon. *ad illum*. Al. *tunc, & ad illud*.

17

Quum autem magis sit ambiguum de ira, pene manifestum de gratia, absurdum est, ex incerto certum velle subvertere, quum sit promptius, de certis incerta firmare [a].

a *De certis incerta firmare*. Isæus *credere atque*.

CAP. VI.

1

HÆ sunt [a] de Deo philosophorum sententiæ. Aliud præterea nihil quisquam dixit. Quod si hæc, quæ dicta sunt, falsa esse deprehendimus [b], unum illud extremum

a *Hæ sunt*. Al. *hæc sunt*.
b *Falsa esse deprehendimus*. Hinc collige, ex re-

mum supereſt, in quo ſolo poſſit veritas inveniri: quod a philoſophis nec ſuſceptum eſt unquam, nec aliquando defenſum: conſequens eſſe, ut iraſcatur Deus, quoniam gratia commovetur.

---

relatis hactenus Philoſophorum ſententiis, invicem adverſantibus, perperam Firmiani de Ira Dei mentem, quam nondum aperuit, percipere potuiſſe illos, qui eum, erroris poſtulant, tamquam Deo paſſiones hominum, humanaſque proprietates affingentem.

2

Hæc tuenda nobis, & aſſerenda ſententia eſt. In ea enim ſumma omnis ratio, & cardo religionis, pietatiſque verſatur. Nam neque honos ullus ᵃ deberi poteſt Deo, ſi nihil

---

a *Nam neque honos ullus*. Bon. *honus*. Al. Tò *nam* omittunt. Al. *honor*. Betulejus heic illud Origenis in Hieremiam affert, ita nimirum benignum Deum aſſerendum eſſe, ne deſperemus, ſicuti ſeverum ne benignitatem contemnamus. Item illud Ciceronis in officiis. *Virum bonum non* peccare etiam impunitate propoſita.

Oderunt enim peccare boni virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Deinde ſubdit: *Quid quod Paullus etiam ait*: Juſtis legem non eſſe poſitam? *Benignitas Dei contemptum ſui adeo non gignit, ut* (ſi Paullo credimus) *Deus ſuam*

nihil præstat colenti: nec ullus metus, si non irascitur non colenti [b].

CAP.

suam erga nos charitatem tam maxime commendavit, quum adhuc peccatores essemus. Porro si hæc, sive Lactantii, sive Origenis sententia rata esset, irrita fieret tota Paulli de fato, seu providentia disputatio. Sed quantum verum est, justos, ac perfectos viros lege non indigere, ut bene vivant, tantum necesse est cæteris hominibus præmia, & pœnas statuere, ut legem impleant, & a præscriptis non declinent officiis. Pauci enim sunt, qui Deum gratis omnino, & non *propter retributionem*, ut ajebat David Psal. CXVIII. ℣. 112. super omnia diligant. Neque reprehensione digni sunt, qui bonum propter æternam mercedem operantur, & quia pravis operibus abstinent, ne pœnis afficiantur perpetuis; Nam merces illa Deus ipse est, qui se in præmium bonorum operum constituit, ita quidem, ut etiam sine prævisione illorum electos prædestinaverit; sed sine illis, nemo æternam beatitudinem, per modum coronæ, esset consecuturus. Iccirco idem Apostolus ad Rom. VIII. ℣. 19. ait: *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Suppliciorum autem æternorum timor, quoniam a fide procedit, & ad charitatem tendit, custos legis est, spei comes fidus, ne quis animo præsumat elato sine meritis coronari. Quem propterea insinuare gestit idem Apostolus quum ibidem cap. II. ℣. 5. inquit: *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* &c.

b *Nec ullus metus si non irascitur non colenti.* Hinc

Hinc omnes Athei, & qui viri fortes audiunt, nihil magis ſtudent, quam Dei timorem a ſuis cordibus abjicere, illud Lucretii L. I. ỷ. 62. de divina natura temere canentes:

Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Ut conſequi & ipſi poſſint, quod idem poeta impius ſubdit ỷ. 79. ſeq.

Quare religio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur, nos æquat victoria Cælo.

Hactenus humana impietas ſine Dei timore furens excurrit.

C A P. VII.



QUum ſæpe Philoſophi per ignorantiam veritatis a ratione deſciverint, atque in errores inciderint inextricabiles [a]: (id enim ſolet his evenire, quod viatori viam neſcienti, & non fatenti ſe ignorare, ut vagetur [b], dum percontari [c] obvios erubeſcit

a *In errores inciderint inextricabiles*. Al. *ineſtimabiles*: Vide L. III. cap. XVII. ſeg. 17. ubi hac eadem phraſi uſus eſt Lactantius ad Virgilii imitationem Æn. VI. ỷ. 25.


b *Ut vagetur*. Al. *dum vagetur*; aut *vagatur*. Al.

bescit) illud tamen nullus Philosophus asseruit unquam, nihil inter hominem, & pecudem interesse [d].

Al. *at vagatur*, aut *evagetur*. Heum. mallet *ubi evagetur*. Sed nihil mutandum est; nam optime dicitur: *evenire ut vagetur*. Aldus, & Schottus nostram retinent lectionem.

c *Dum percontari*. Bon. *dum per cantari*.

d *Nihil inter hominem, ac pecudes interesse*. Al. *nonnihil*, & sic Schottus. Al. *pecudem*. Isæus heic notat, Lactantium resipuisse ab errore, de quo eum postulaverat L. II. c. III. ubi vide, quæ diximus, seg. 14. (c), & diss. xxv. cap. vi. a §. iv.



Nec omnino quisquam, modo sapiens videri vellet [a], rationale animal cum mutis, & irrationabilibus coæquarit [b]: quod faciunt quidam imperiti, atque ipsis pecudibus simil-

a *Modo sapiens videri vellet*. Al. *qui modo*, aut *modo*, *qui sapiens*. Al. *qui leviter*, aut *qui vel leviter*. Hinc collige, quam dementes fuerint & ii qui rationem brutis animalibus tribuebant, & qui nihil habere hominem jumento amplius apud Eccl. III. ℣. 19. asseruerunt. Quibus tamen longe insipientiores sunt viri illi scelesti, qui *fortes*, & *liberi* appellari volunt; quoniam ex indicatis Ecclesiastæ locis, Salomonem Atheorum, Pantheistarumque systematis fabricatorem constituunt.

millimi [c] : qui quum ventri, ac voluptati se velint tradere, ajunt : *eadem ratione se natos, qua universa, quæ spirant* [d] ; quod dici ab homine, nefas est.

---

b *Rationale animal cum mutis, & irrationalibus coæquarit*. Al. *rationabile*. Al. *irrationabilibus coæquavit*, aut *coæqueverit*. Plutarch. Lib. v. *de Plac. Phil.* inquit: *Pythagoras, & Plato eorum etiam animalium, quæ irrationalia vocantur, animas ratione præditas esse, dixerunt; illas tamen ob pravam corporum temperiem, & quod loquendi vi careant, secundum rationem non operari, ut in simiis, & canibus apparet* &c. Adde dicta L.II. cap. II., & IX.

c *Atque ipsis pecudibus simillimi*. Sic etiam Aldus. Al. *similes*. Ita expresse in Psal. XLVIII. ỳ.12. & 21.

d *Qua universa, quæ spirant*. Bon. *universa quæ sperant*; iis omissis, quæ mediant.




Quis est enim tam indoctus [a] est, ut nesciat? quis tam imprudens, ut non sentiat, inesse aliquid divini in homine [b]?

C 4 Non-

---

a *Quis est enim tam indoctus*. Bon. *qui*. Al. *At qui*.

b *Inesse aliquid divini in homine?* Hoc ordine in Cod. Bon. Al. *inesse aliquid in homine divini?* Al. *inesse aliquid homini divini?* Al. *divinum*.



Nondum venio ad virtutes animi, & ingenii, quibus homini cum Deo manifesta cognatio [a] est. Nonne ipsius corporis status & oris figura [b] declarat, non esse nos cum mutis pecudibus æquales [c] ? Illarum natura in humum, pabulumque prostrata est, nec habet quicquam commune cum cælo, quod non intuetur [d]. Ho-

a *Homini cum Deo manifesta cognatio*. Al. *quibus homini festa cognatio*. Al. *manifesta cogitatio*. Al. *manifesta cognitio*.

b *Corporis status, & oris figura*. Vide L. II. c.I. Al. *& omnis figura*.

c *Non esse nos cum mutis pecudibus æquales?* Al. Tò *nos* non habent. Al. *æqualem?* Notant heic singularem juncturam Philologi: *æquales cum aliquo*; sed sane miror; quum Cicero sæpe *æquare cum alio* dixerit; nec Cæsar, & alii boni ab hac junctura abhorruerint. Ille siquidem *in Lælio* ait: *Ut igitur ii, qui sunt in amicitiæ, conjunctionisque necessitudine superiores, se æquare cum inferioribus debent*. Idem 1. *de Invent.* dixit: *Cum iis se paterentur æquare*. Similia habet L.III. de Leg. &c. Cæsar *de Bello Gall.* cap. VI. inquit: *Quum suas quisque opes cum potentissimis æquari videat*. Sallust. *Orat. II. ad Cæsar. de Republ. ordin.* sive quisquis sit Author ejusdem: *Tametsi domi, militiæque præclara facinora egisti: tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est* &c.

d *Cum cælo, quod non intuetur*. Al. *intuentur*. Vide L. III. cap. X. seg. 10. seq.



Homo autem recto ſtatu, ore ſublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum [a], & rationem ratio cognoſcit.

---

a *Confert cum Deo vultum*. Walch. Mallet *conſert ad Deum*. Vide L. II. c. II. a ſeg. 23. ſeq. Bunem. Lactantium dicit, a Seneca hanc phraſim accepiſſe *Epiſt.* LXXI. ubi ait: *Alius jam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos; ſed non pertinaciter; cedunt enim nimio ſplendore præſtricti; alius in tantum, ut poſſit cum illa conferre vultum*. Sed expreſſe idem legitur L. c.



Propterea nullum eſt animal (ut ait Cicero [a].) *præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei*. Solus enim ſapientia inſtructus eſt, ut religionem ſolus intelligat. Et hæc eſt hominis, atque mutorum vel præcipua, vel ſola diſtantia [b].

Nam

---

a *Ut ait Cicero*. Vide L. III. Cap. x. Inſt. Divinar. ubi ſeg. 7. eadem hæc habentur.

b *Vel præcipua, vel ſola diſtantia*. Vide L.II. c.I. ſeg. 1. & III. ſeg. 14. (c) ubi iſta ſunt a nobis illuſtrata, & iterum illuſtranda ex cap. v. ſeg. 19. ejuſdem libri.



Nam cætera, quæ videntur esse homini propria [a], etsi non sunt talia [b] in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius est homini sermo; est tamen & in illis quædam similitudo sermonis [c]. Nam & dignoscunt invicem se vocibus [d], & quum irascuntur, edunt sonum jurgio similem: & quum se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant.

No-

a *Esse homini propria*. Al. *hominis*. Al. *hominum esse*.

b *Etsi non sunt talia*. Quod placet Heumanno. Al. *sint*. Leo Allatius vir non facile cum aliis sui temporis in eruditione comparandus, diss. *de Errorib. Magn. viror. in dicendo*. Cap. I. hocce Lactantii lucum indicat, quasi in eo non longe abludat a Porphyrii opinione. Verum quantum inter utrumque distet ex collatis locis apparet diss. nostra XXV. cap. VI. §. VIII.

c *Proprius est hominis sermo*; *est tamen & illis quedam similitudo sermonis*. Al. *est homini*. Al. *proprius homini sermo est*. Anonymus quidam libellum scripsit de Similis, in quo etiam de aliis animalibus loquens, quædam narrat, de hirundinibus præsertim, quæ hoc demonstrare videntur.

d *Et dignoscunt invicem se vocibus*. Bon. *de vocibus*. Vide Lib. III. c. X. seg. 2. & L. VI. c. XX. seg. 2.



Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ [a], ſicut illis fortaſſe noſtræ: ſed ipſis, qui ſe intelligunt [b], verba ſunt: denique in omni affectu [c] certas vocis notas [d] exprimunt, quibus habitum mentis [e] oſtendant.

a *Videntur inconditæ*. Al. *incognitæ*.

b *Sed ipſis, qui ſe intelligunt*. Aldus Al. *ſed ipſis, quæ* &c. Bon. *quia*.

c *Denique in omni affectu*: Fulvius Urſinus ſic legendum judicat. Al. *affectum*. Al. *affectione*. In Bon. Codice habetur *Dei*, *quæ* pro *denique*.

d *Certas vocis notas*. Bon. *certas voces mutas*.

e *Habitum mentis*. Horat. L. I. Sat. IX. ỳ. 20.
. . . . *Iniquæ mentis aſellus*.
Virgil. L. IV. Georg. ỳ. 212. de Apibus ait:
. . . . *Mens omnibus una eſt*.



Riſus quoque eſt homini proprius: & tamen videmus in aliis animalibus quædam ſigna lætitiæ, quum ad luſum geſtiunt [a], aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in laſciviam reſolvunt. Quid

a *Quum ad luſum geſtiunt*. Schottus: ad *ludum*. Vide ad Lib. III. cap. X. ſeg. 2.



Quid tam proprium homini, quam ratio, & providentia futuri? Atqui sunt animalia, quæ latibulis suis diversos, & plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis: quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia, & cogitatio [a].

a *Intelligentia, & cogitatio*. Intellige cognitionem ad sui tutelam necessariam, ut Lib. & cap. superius laudato seg. 3.



Alia providentia in futurum, ut:

.... *Ingentem formicæ farris acervum*
Quum populant [a], *hyemis memores,*
tectoque reponunt.

Ut apes,

Quæ patriam solæ [b] *& certos novere*
penates, *Ven-*

a *Quum populant*. Sic Virgil. L. IV. Æn. ℣. 402. etiam in Cod. Mss. Vatican., & Mediceo. Bon. *conpopulant*. Al. perperam: *comportant*. Servius L. C. notat apud antiquos *Populo* pro *Populor* usurpari consuevisse.

b *Quæ patriam solæ*: Versus itidem Virgilian. *Georg.* Lib. IV. a ℣. 155.

Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur: & in medium quæsita reponunt.

12

Longum eſt, ſi exequi velim, quæ a ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſolertiæ ſimillima. Quod ſi horum omnium, quæ adſcribi homini ſolent, in multis quoque [a] deprehenditur ſimilitudo: apparet ſolam eſſe religionem, cujus in mutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio inveniri poteſt.

a *Quæ adſcribi hominibus ſolent, in multis quoque .... cujus in mutis*. Sic omnino legendum cum melioribus Cod. ubi Al. *in mutis .... in mutis*. Vel *in multis .... in multis*. Vel *in mutis .... in multis*.

13

Religionis enim eſt propria juſtitia; quam nullum aliud animal attingit [a]. Homo enim ſolus impertit [b]: cætera ſibi conciliata ſunt

a *Quam nullum aliud animal attingit*. Al. *quam*. Idem Lib. III. cap. XII. ſeg. 9. de immortalitate loquens ait: *quæ nec aliud animal attingit*.

b *Homo enim ſolus impertit*. Al. *imperat*. Aldus ſecundam vocem delet.

ſunt. Juſtitiæ autem Dei cultus adſcribitur: quem qui non ſuſcipit, hic a natura hominis alienus, vita pecudum [c] ſub humana ſpecie vivit.

c *Vita pecudum*. Al. *vitam*, quæ lectio improbanda non eſt.

14

Quum vero a cæteris animalibus hoc pene ſolo differamus, quod ſoli omnium divinam vim, poteſtatemque ſentimus, in illis autem nullus ſit intellectus Dei [a]. Certe illud fieri non poteſt, ut in hoc vel muta plus ſapiant, vel humana natura deſipiat: quum homini ob ſapientiam, & cuncta quæ ſpirant, & omnis rerum natura ſubjecta ſit.

a *Intellectus Dei*. Cognitionem intellige, quia Deum intelligant, & venerentur naturali inſtitutione. Vide infra cap. XII. ſeg. 2.

15

Quare ſi ratio, ſi vis [a] hominis, hoc præcellit, & ſuperat cæteras animantes, quod ſo-

a *Si ratio, ſi vis*. Al. *ſi ratio, ſi jus*.

ſolus notitiam Dei capit: apparet, religionem nullo modo poſſe diſſolvi [b].

---

b *Poſſe diſſolvi*. Ultimum verbum in Bon. Cod. eſt omiſſum & in præcedentibus legit: *Quod ſolus notitia decapit apparet* &c.

CAP. VIII.

§ 1 §

Diſſolvitur autem religio, ſi credamus Epicuro [a], illa dicenti:

Omnis enim per ſe divum [b] natura, neceſſe eſt,
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota a noſtris rebus [c], ſejunctaque longe:
Jam privata dolore omni, privata periclis [d],

Ipſa

---

a *Epicuro*. Al. *Lucretio*. Nam Epicurus apud Lucretium loquitur Lib. I. a V. 57.

b *Divum*. Hocce verbum in noſtro Cod. punctis eſt diſtinctum.

c *Semota a noſtris rebus*. Præpoſitio in Bon. Cod. deeſt, quam alii omnes habent. Schottus *a noſtris oculis*.

d *Jam privata dolore omni, privata periclis*. Sic

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri [e],
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur [f] *ira.*

Sic Lucretii libri; at in nostro Cod. *nam privata periclis*: legitur ex vocis repetitione, iis quæ mediant, omissis, ut sæpe nostro amanuensi librario contigisse deprehendimus.

e *Nihil indiga nostri*. In Bon. *nihil indiget nostri*. Al. *nil indigna*. Al. *indiga nobis*.

f *Capitur, nec tangitur*. Primum verbum punctis distinguitur, in nostro Cod., & pro *nec* legitur *neque*.



Quæ quum dicit, utrum aliquem cultum Deo [a] putat esse tribuendum, an evertit omnem religionem? Si enim Deus nihil cuiquam [b] boni tribuit, si colentis obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur [c]?

---

a *Aliquem cultum Deo*. Hæc ultima vox deest in nostro Cod. Bon.

b *Nihil cuiquam*. Al. *nihil umquam*. Al. *nihil cuiquam unquam*.

c *Quam Templa ædificare, sacrificia facere, dona con-*

conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur: Sic in nostro Bon. Cod., & in omnibus Mss., quos vidimus habetur: in editis vero, præsertim in Sublacensi, & Veneta apud Simonem Bevilaquam an. 1497. quatuor verba desunt: scilicet: *sacrificia facere, dona conferre*, quæ ex Bunemanno desunt etiam Emmanuel., Cant., Reimm., Rost; & Venet. an. 1493. Homo autem Lutheranæ sectæ professor quamquam non dubitet, hæc esse genuina Lactantii verba, addit tamen: *Templa enim non semper, nec ab omnibus ædificabantur; sacrificia vero, & dona ad cultum omnium, & omni tempore pertinebat*; de quo cap.16. 2. *Dona, & sacrificia offerunt.* Lact. VI. cap. 25. *Apud istos, qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt* &c. *& L.* VI. *c.* 5. *Epitom.* c.LVIII. &c. quasi de solis paganorum sacris heic Noster loqueretur; At non de Ethnicorum tantum; sed etiam de Christianorum Templis, Sacrificiis, & Oblationibus heic Lactantius agit; quod demonstrat verbum illud *assequamur*, scilicet *quotquot sumus, qui Templa ædificamus, qui sacrificia facimus* &c. Unde optimo jure Isæus ex hoc loco ad cap. II. L. II. colligere potuit, frequentari tunc a fidelibus consuevisse Sacrosantum Missæ sacrificium, quod heic *fabulosum*, ac *nefarium*, impudentissime appellat blasphemus Gallæus, cujus sæpe audaciam fregimus, & penitus suis locis in Dissertationibus nostris prosteruimus.



At enim naturam excellentem honorari oportet. Quis honos deberi potest nihil cu-

ranti, & ingrato? An aliqua ratione obstricti esse [b] possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? *Deus* (inquit Cicero [c]) *si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat. Quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini.*

a *At enim naturam excellentem honorari oportet.* Objectio est, quam sibi proponit Firmianus, ex veritatis fonte derivata, & omnium Gentium consensione recepta.

b *Obstricti esse.* Al. *adstricti.* Al. *astricti.*

c *Inquit Cicero.* Scilicet Lib. I. *de Nat. Deor.*

4

Quid contemptius dici potuit [a] in Deum? *Valeat*, inquit, id est: abeat, & recedat [b], quandoquidem [c] prodesse nulli potest. Quod

a *Dici potuit.* Bon. *dici potest.*

b *Id est: abeat, & recedat.* In Cod. Bon. *habeat.* Donatus, Servius, & alii quidam, Tò *valeat* explicant: *Pereat*; sed neque hanc, neque Lactantianam expositionem probat Valla *Lib. VI. cap. XXX. Elegant:* ait siquidem. *Vale: salutatio est recedentis, ut salve: & Ave: venientis.* Subdit tamen; *Caeterum, qui valeat: pro execratione acceperunt, forsitan hoc argumento inducti sunt, quo nonnunquam hoc verbum languorem significat* &c.

c *Quandoquidem:* Al. *quando:* Al. *quando, & quidem.*

5

Quod si negotium Deus nec habet, nec exibet: Cur ergo non delinquamus [a] quoties hominum conscientiam fallere licebit [b], ac leges publicas circumscribere? Ubicumque nobis latendi occasio arriserit, consulamus rei [c], auferamus aliena vel sine cruore, vel etiam cum sanguine [d], si præter leges nihil est amplius, quod veremdum sit [e].

a *Cur ergo non delinquamus*. Al. *cur non ergo*. Vide L. II. cap. XVII. a seg. 36.

b *Licebit, ac leges publicas circumscribere*. Bon. *licevit, ac res publicas*.

c *Consulamus rei*. Hæc in plerisque desiderantur.

d *Vel sine cruore, vel etiam cum sanguine*. Al. *vel sine errore, vel sanguine*. Al. *vel & cum*. Al. *vel etiam sanguine*. Bon. *sanguinem*.

e *Quod verendum sit*. Al. *dolendum*. Al. *colendum*.

6

Hæc dum sentit Epicurus [a], religionem funditus delet: qua sublata, confusio, ac perturbatio vitæ sequitur [b].

D 2 Quod

a *Hæc dum sentit Epicurus*. Al. *dum sensit*.

b *Qua sublata, confusio, ac perturbatio vitæ sequitur*: Cicero Lib. I. *de Nat. Deor. Quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur, & magna confusio*.



Quod si religio tolli non potest : ut & sapientiam, qua distamus a belluis [a], & justitiam retineamus, qua communis vita sit tutior [b] Quomodo religio ipsa sine metu teneri [c], aut custodiri potest ? Quod enim non metuitur, contemnitur ; quod contemnitur, utique non colitur, ita fit, ut religio, & majestas, & honor metu constet : metus autem non est, ubi nullus irascitur.

a *Ut & sapientiam, qua distamus a belluis*. Desunt hæc in aliquibus tam Mss. quam prelo editis.
b *Sit tutior*. Bon. *fuit tutior*. Forte *sit tutior*.
c *Sine metu teneri*. Isæus *sine metro tueri*.



Sive igitur gratiam Deo [a], sive iram, sive utrumque detraxeris, religionem tolli necesse est, sine qua, vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multum enim refrenat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere, si non tantum quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus, aut loquitur, audiri a Deo putemus. *At*

a *Sive igitur gratiam Deo* &c. Bon. *gratiam Domino* : Frequens permutatio.

9

At enim prodest id credere [a] (ut quidam putant) *non veritatis gratia, sed utilitatis* [b]: *quoniam leges conscientiam punire non possunt, nisi aliquis desuper terror impendat* [c] *ad cohibenda peccata. Falsa est igitur omnis religio & divinitas nulla est:*

a *At enim prodest id credere* &c. Politicorum verba sunt, qui reluctante conscientia, ut religionem omnem exterminent, hæc omnia ob commune societatis bonum excogitata esse obtrudunt: & quamquam utilia laudant; tamen ut falsa parvipendunt.

b *Sed utilitatis*. Repete *gratia*. Al. *utilitate*.

c *Terror impendeat*. Al. *impendat*. Al. *impendit*. Al. *impediat*.

10

Sed a viris prudentibus universa conficta sunt [a], *quo rectius, innocentiusque vivatur.*

a *Conficta sunt*. Al. *confecta sunt*. Sic enim Numam, Scipionem, & alios religionem simulasse, Valerius exemplis docet, quibus Betulejus addit: *Sic Romanæ Religionis defensores sua decreta tuentur, non quia vera sint; sed quia ipsis sit utile, ea publice recipi, & in vulgus valere. Hoc ipsorum multi fatentur; Neque enim hoc mihi persuasissent, nisi*

vatur. Magna hæc, & a materia, quam proposuimus, aliena quæstio est: sed quia necessario incidit, debet, quamvis breviter [b], attingi.

---

nisi ex ipsis audivissem. Hinc conjice prudens Lector, quam religiosus, quam cordatus, quam sapiens esset Betulejus, cui nullus id persuasisset, quod tamen nonnisi apostata aliquis, aut transfuga mendacissimus potuit ei persuadere; nam qui utilia sibi quærunt religionem simulando, tam a Romana Catholica fide alieni sunt, quam Betulejus ipse, & sectarii omnes a veritatis semita remoti, omni jure censentur.

b *Quamvis breviter*. Al. *quam breviter*.

CAP. IX.



QUum sententiæ Philosophorum prioris temporis [a] de providentia consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin mundus [b] a Deo, & ratione esset instructus, & ratione regeretur: primus omnium Protagoras [c] extitit temporibus Socratis [d], qui sibi diceret:

---

a *Prioris temporis*. Bon. *proprioris*.

b *Quin mundus*. Isæus: *qui mundus*. Bon. *quod mundus*. Al. *quoniam*.

c *Primus omnium Protagoras*. Bon. & alii nonnulli: *Pythagoras*; sed prave. Vide de eo Lib. I. cap. II. seg. 2.

ceret: *non liquere* [e], *utrum esset aliquà divinitas, necne?*

d *Temporibus Socratis*. Ex Laërtio L. IX. seg. 56. floruisse dicitur Protagoras Olymp. LXXIV.

e *Sibi non liquere* &c. Cicero L. I. *de Nat. Deorum*, inquit: *Protagoras quum in principio libri sui sic potuisset: De diis neque ut sint, neque ut non sint habeo dicere* &c.



Quæ disputatio ejus adeo impia, & contra veritatem, & religionem judicata est, ut & ipsum Athenienses expulerint [a] suis finibus, & libros ejus in concione, quibus hæc continebantur, exusserint [b]. De cujus sententia non est opus disputare, quia nihil certi pronunciavit [c].

 Post

a *Athenienses expulerint*: Laërtius ibidem, Suidas, Eusebius *Præp. Evang.* XIV. 19. Minucius Felix, & alii idem narrant. Philostratus vero in ejus vita hæc habet: *Propterea certe omni solo ab Atheniensibus expulsus quum judicio, ut quidam volunt, condemnatus fuisset; ut vero aliis videtur, quum sententia, indicta caussa, data esset, ex continenti in insulas transmissurus, quum Atheniensium triremes, toto mari dispersas, caveret, subterfugiens, parva Cymba navigavit*. Adde Ciceronem ubi supra.

b *Exusserint* Al. *excusserint*.

c *Nihil certi pronunciavit*. Cicero ubi supra: Nec vero Protagoras .... *quicquam videtur de Natura Deorum suspicari*.

§ 3 §

Post hæc Socrates, & auditor ejus Plato [a], & qui de schola Platonis [b], tanquam rivuli diversas in partes profluxerunt, Stoici, & Peripatetici [c] in eadem fuere sententia, qua priores.

---

a *Socrates, & ejus auditor Plato*. Vide L. III. cap. III., ac Euseb. *de Præpar. Evang.* L. XIII.

b *De Schola Platonis*. Sic L. VII. cap. XII. seg. 31.

c *Stoici, & Peripatetici*. L. II. cap. IX. seg. 48. iidem memorantur.

§ 4 §

Postea vero Epicurus [a] Deum quidem esse dixit, quia necesse sit, esse aliquid in mundo præstans, & eximium, & beatum: providentiam tamen nullam: itaque mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica instructum; sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus [b], & insecabilibus conglobatam. Quo

---

a *Postea vero Epicurus* L. III. cap. XVII. a seg. 2. plura de ejus falsa doctrina dicta sunt.

b *Quibusdam minutis seminibus*. Nempe *atomis*. de quibus L. *de Opif. Dei* cap. II. seg. 10., & cap. sequenti hujusce libri, quem præ manibus habemus, agitur.

5

Quo quid repugnantius [a] dici possit, non video. Etenim, si est Deus, utique providens est [b], ut Deus: nec aliter [c] ei potest divinitas attribui, nisi & præterita teneat [d], & præsentia sciat, & futura prospiciat.

---

a *Quo quid repugnantius* &c. L. III. cap. XVII. a seg. 23. id Noster ostendit. Bon. *quid quod*.

b *Utique providens est*. Nihil magis, quam hanc veritatem in hoc libro Noster ostendit.

c *Ut Deus*; *nec aliter*. In Bon. Tò *ut* punctis distinguitur, sicut de corrigendis sæpe diximus, & pro *aliter* habet: *alteri*.

d *Nisi & præterita teneat* &c. Hæc infra prope finem capitis sequentis ex Cicer. confirmantur.

6

Quum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse. Quum autem Deum esse confessus est [a], & providentiam simul esse, concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest.

Ve-

---

a *Quum autem Deum esse, confessus est*. Al. *professus est*: Adeo hæc connexa sunt, ut uno posito, & admisso, aliud mente sana negari non possit.



Verum iis postea temporibus, quibus jam philosophia defloruerat[a], extititAthenis alius,quidamDiagoras[b], qui nullum esse omnino Deum diceret: ob eamque sententiam nominatus est ἄθεος: item Cyrenæus Theodorus;[c] ambo, quia nihil novi[d] poterant re-

pe-

a *Philosophia defloruerat*. Vide Lib. III. cap. VI. in quo ex repugnantibus invicem Philosophorum sententiis, philosophiam omnem extinctam esse, concluditur.

b *Extitit alius quidam Diagoras*. Sic etiam Aldus. Al. *extitit Athenis quidam Diagorus*. Al. *extitit Malius quidam* &c. Al. *extitit Ælius* &c. Al. *extitit Metius*. De eo nos locuti sumus ad L.I. cap. II. seg.2. ac de eodem Laërtius ait Lib. VI. seg. 59. *Alii Diagoræ Melio hoc assignant*; Cicer. de Nat. Deor. L.I. *Deos esse .... dubitare se Protagoras: nullos esse omnino Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putaverunt*. Hinc plurimi etiam Lactantium *Melius* scripsisse putant, quod verbum quum amanuenses Librarii non intelligerent, quilibet eorum pro suo captu detorsit.

c *Item Cyrenæus Theodorus*, de eodem diximus; ubi supra, & dicenda indicavimus. Heic notare sufficiat, Isæum ex Clemente Alexandrino apologiam quandam pro iis suscepisse quam Diss. XXVII. cap.I. §. II. ad examen revocamus.

d *Ambo, quia nihil novi*. Bon. etiam *ambo, quia* &c.

perire, omnibus jam dictis, & inventis, maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant. Ii sunt, qui tot sæculis, & ingeniis *f* assertam, atque defensam providentiam calumniati sunt.

---

e *Maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo*. Bon. *in quibus* Al. Tò *vel* omittunt. In Bon. Cod. primi duo characteres in *negare* punctis distinguuntur. Aldus nobiscum legit.

f *Hi sunt, qui tot sæculis, & ingeniis*. Al. *Ii sunt, qui a tot sæculis, tot ingeniis* &c.

8

Quid ergo? utrumne istos minutos, & inertes [a] philosophos ratione, an vero authoritate [b] præstantium virorum refellemus? an potius utroque? Sed properandum est, ne longius a materia evagetur oratio [c].

CAP.

---

a *Minutos, & inertes*. Primum verbum in Cod. Bon. more corrigendorum punctis obsignatur. Al. *inimicos*, & *inermes*. Nostra lectio communior, & quæ atheorum characterem, & veram notionem ostendit.

b *An vero authoritate*. Al. *an veritate*.

c *A materia evagetur oratio*. Al. *divagetur*. In nostro Bon. Cod. hæc desiderantur. Schottus delet

let Tò *a materia* . Equidem cum Cicerone II. *de Oratore* 209. lego *vagetur* , aut *evagetur* , quum inter latinos non occurrat pro Mss. lectione exemplum; nisi apud eundem Lactantium L. IV. c.III. seg.20. secundum quasdam editiones, quas nos secuti non sumus, ne meliorem abjicere cogeremur.

C A P. X.



QUi nolunt divina previdentia factum esse mundum, aut principiis inter se temere coeuntibus, dicunt esse concretum, aut repente natura extitisse [a]: naturam vero, ut Straton ait [b], habere in se vim gi-

a *Aut repente natura extitisse*. En *Naturalistarum* nostrorum temporum systema.

b *Ut Straton ait*. Al. *ut ait Straton*. Quamquam Suidas quatuor dumtaxat, & Laertius octo hujus nominis viros recensent, plures tamen fuisse, necesse est; Siquidem hi non memorant Stratonem Comicum, Geographum, ac Philosophum alium, de quo Plutarchus in Symposiacis. Is autem, de quo Lactantius loquitur, patria fuit Lampsacenus, Arcæsilai filius, Theophrasti in schola successor, Ptolemæi Philadelphi magister, & Physici cognomine appellatus. Teste Apollodoro apud Laertium Lib. v. seg 57.

gignendi, & minuendi [c] : sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus [d], omnia quasi sua sponte esse generata, nullo artifice, nec authore. Utrumque vanum, & impossibile.

---

seg. 57. scholæ præfici meruit Olympiade cxxiii. an. III., ut ibidem notat Aldobrandinus. Vide Petrum Bælium Lex. Hist. in *Spinoza*, & Buddeum *de Spinozismo ante Spinozam* §. vi.

c *Vim gignendi, & minuendi*. Al. *& vivendi*. Al. aut *vivendi*. Cicero L.I. *de Natur. Deor.* c.xiii. *Nec audiendus ejus auditor Strato, is qui Physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quæ caussas gignendi, augendi, minuendi habeat*.


d *Sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram, ut intelligamus* &c. Cicer. ibidem: *sed careat omni sensu, & figura*. Vide superius dicta ad cap.II. seg.5.



Sed hoc evenit ignorantibus veritatem, ut quidvis potius excogitent, quam id sentiant [a], quod ratio deposcit.

---

a *Quam id sentiant*. Bon. Cod. *quam id sententiam*.



Primum minuta illa semina, quorum con-

concursu fortuito cohæsisse [a] mundum loquuntur, ubi, aut unde sint, quæro, quis illa vidit unquam? quis sensit? quis audivit? An solus Leucippus [b] oculos habuit? solus mentem? qui profecto solus omnium cœcus, & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens possit somniare.

a *Quorum concursu fortuito cohæsisse* &c. Al. Tò *fortuito* non habent. Al. addunt: *totum cohæsisse*. Al. *coisse*. Al. *coiisse*. Vide Cic. Lib. I. *de Natur. Deor.* cap. XXIV.

b *An solus Leucippus*, quem aliqui Eleatem, quidam Abderitam, & nonnulli Melium, Zenonis discipulum, fuisse dicunt, ac primum, qui atomos, rerum omnium principium esse, statuit. Vide Laertium L. IX. seg. 30. ubi falsus deprehenditur Betulejus, quum ait: Laertium in Leucippo nullam de atomis mentionem fecisse. Vide etiam Cicer. *de Nat. Deor.* Lib. I. ubi supra, & Nostrum L. III. c. XVII.

4

Quatuor elementis [a] constare omnia, Philosophi veteres disserebant: ille noluit, ne

a *Quatuor elementis* &c. Empedocles, Anaxagoras, ac Peripatetici quatuor elementorum doctrinam ducuerunt, quamquam Aristoteles in initio Librorum *de Generatione*, quintam aliam essentiam addidisse videatur.

ne alienis vestigiis videretur insistere ; sed ipsorum elementorum alia voluit esse primordia [b] , quæ nec videri possint , nec tangi , nec ulla corporis parte sentiri.

b *Ipsorum Elementorum alia voluit esse primordia.* Laertius ubi supra de Leucippo loquens inquit: *Primus hic atomos principia subjecit. Summatim ista illi visa sunt*; sed sunt explicanda per partes. *Universum quidem, ut diximus, infinitum ait. Hujus partem plenam esse, partem inanem, & elementa* ait, *mundosque ex eis infinitos esse, & in illa dissolvi* &c.

5

Tam minuta sunt, inquit, *ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari, ac dividi possint* : unde illis nomen imposuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod si una esset omnibus, eademque natura, non possent res efficere diversas, tanta varietate, quanta videmus inesse mundo.

6

Dixit ergo, lævia esse, & aspera, & rotunda [a] , & angulata, & hamata. Quanto me-

a *Dixit ergo lævia esse, & aspera, & rotunda, & angulata, & hamata*. Bon. *rutunda .... levitate esse* &c. Al. Tò *& angulata* non habent. Sic Cicer. L.I.

melius fuerat tacere, quam in usus tam miserabiles, tam inanes habere linguam. Equidem vereor, ne non minus delirare [b] videatur, qui hæc putet refellenda; respondeamus tamen velut aliquid dicenti.

L. I. de *Nat. Deor. Esse corpuscula quædam lævia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, hamata quædam* &c.

b *Equidem vereor, ne non minus delirare*. Al. *& quidem*. In Cod. Bon. *dilerare*.

c *Velut aliquid dicenti*. Phrasis Lactantio frequens. *Aliquid dicere* pro eo quod est? *Vanam omnino quæstionem agitare*. L. III. cap. VII. seg. 3. *sive aliquid dicunt, nihil prosunt, sive delirant, nihil nocent*.

7

Si lævia sunt, & rotunda, utique non possunt invicem se apprehendere, ut aliquod corpus efficiant: ut si quis milium velit in unam coagmentationem [a] constringere, lævitudo ipsa [b] granorum in massam coire non sinat [c].

Si

a *In unam coagmentationem*. Al. *coaugumentationem*.

b *Lævitudo ipsa*. Bon. *lenitudo*.

c *Non sinat*. Heum. *non sinet*. Nobiscum legunt alii omnes, & nostram lectionem retinendam esse scite ostendit Bunemannus.

8

Si aspera, & angulata [a] *sunt, & hamata, ut possint cohærere*: Dividua ergo, & secabilia sunt; hamos enim necesse est, & angulos eminere [b], ut possint amputari; itaque quod amputari, ac divelli potest, & videri poterit, & teneri.

---

a *Si aspera & angulata*. Al. *Aspera inquit & angulata*. Aldus nostram lectionem tenet.

b *Hamos enim necesse est, & angulos eminere, ut possint amputari*. In Bon. Cod. *hames .... & possint*: punctis adhibitis ad ultimos characteres. Al. *hamis*. Al. *angulis*. Vide Epic. cap. XXXVI.


9

Hæc inquit, *per inane irrequietis motibus volitant, & huc, atque illuc feruntur; sicut pulveris micas* [a] *videmus in sole, quum per fenestram radios, ac lumen immiserit. Ex his arbores, & herbæ, & fruges omnes oriuntur, ex his animalia, & aqua, & ignis, & universa gignuntur, & rursus in eadem resolvuntur*. Ferri hoc potest, quandiu

---

a *Pulveris micas*. Al. *minutias*. Aldus nobiscum legit.

diu de rebus parvis agitur. *Ex his etiam mundus ipse concretus est*.



10

Implevit numerum perfectæ insaniæ [a]. Nihil videtur ulterius addi posse [b]; Sed invenit tamen ille quid adderet. *Quoniam omne*, inquit *infinitum est*; *nec* [c] *potest quicquam vacare* [d]: *necesse est ergo innumerabiles esse mundos*.

a *Implevit numerum perfectæ insaniæ*. Bon. *numerorum*. Al. *perceptæ insaniæ*. Schottus *implevit numeros*.

b *Nihil videtur ulterius addi posse*; *sed invenit tamen ille* &c. Al. *Ut nihil ulterius adjici posset*. Schottus delet Tò *sed*: legitque: *& invenit*.

c *Infinitum est*: *nec*: Sic in nostro Bon. Cod. Al. Tò *est* anteponunt.

d *Quicquam vacare*. Abest a nonnullis primum verbum, & pro secundo legunt: *vacuare*.



11

Quæ tanta vis fuerat atomorum, ut moles tam inæstimabiles ex tam minutis conglobarentur? At primum [a] requiro, quæ sit isto-

a *At primum*. Al. *ac primum*. Al. *ad primum*.

iſtorum ſeminum vel ratio, vel origo? Si enim ex illis ſunt omnia, ipſa igitur unde eſſe dicemus [b]? quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles mundos ſubminiſtravit?

b *Unde eſſe dicemus? quæ natura.* Hæc deſunt in noſtro Bon. Cod.

12

Sed concedamus [a], ut impune de mundis deliraverit [b]: de hoc loquamur, in quo ſumus, & quem videmus. Ait: *omnia ex individuis corpuſculis fieri.*

a *Sed concedamus.* Al. *concedam.*
b *De mundis deliraverit.* Bon. Cod. *deleraverit.* Ut ſupra.

13

Si hoc ita eſſet; nulla res unquam ſui generis ſemine indigeret: ſine ovis alites naſcerentur, ac ova ſine partu [a]: item cætera viventia ſine coitu: arbores, & quæ gignuntur e terra, propria ſemina non habe-

a *Aut ova ſine partu.* Bon. *aut ova partu.* Al. *ac ova* &c.

rent: quæ nos quotidie tractamus, & ferimus. Cur ex frumento seges nascitur, & rursus ex segete frumentum?

14

Denique, si atomorum coitio, & conglobatio efficeret omnia, in aere concrescerent universa[a], siquidem per inane atomi volitant. Cur sine terra, sine radicibus, sine humore, sine semine, non herba non arbor, non fruges oriri, augerique possunt[b]?

a *In aere concrescerent universa*. Al. *& in aere universa concrescerent*.

b *Non herba, non .... oriri, augerique possunt?* Al. *non herbæ, non .... oriviri, aut generari* &c.

15

Unde apparet, nihil ex atomis fieri[a]: quandoquidem unaquæque res habet propriam, certamque naturam, suum semen, suam legem ab exordio datam.

a *Unde apparet, nihil ex atomis fieri* &c. Schottus. *apparet nihil illis* &c.

16

Denique Lucretius[a], quasi oblitus atomo-

miorum, quos afferebat, ut redargueret eos, qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis usus est, quæ contra ipsum valerent. Sic enim dixit:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset; nil semine egeret [b].

Item postea.

Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est [c]:
Semine quando opus est rebus, quo quæque creata
Aeris in teneras possint proferrier auras.

---

a *Lucretius*. Nempe L. I. ℣. 160.

b *Nil semine egeret*. ℣. 206. ejusdem L. I.

c *Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est*. Sic in omnibus Lucretii libris. At in Bon. *Nihil .... de nihilo .... putandum est*. Al. *de nihlo*.

17

Quis hunc putat habuisse cerebrum, quum hæc diceret, nec videret sibi esse contraria? Nihil enim per atomos fieri exinde apparet, quod semen cujusque rei certum est; nisi forte & ignis, & aquæ naturam ex atomis esse credemus. Quid? quod durissimi

rigoris materies, si ictu vehementiore collidantur [a], ignis excutitur [b]?

a *Materies si vehementer collidatur*. Al. *materiæ si vehementiore ictu collidantur*.

b *Ignis excutitur*. Bunemannus mallet: *excuditur*, ut apud Virgil Æn. L. I. ỳ. 174.

Ac primum silicis scintillam excudit Achates. Quem loquendi modum probavit Harduinus in L. XVI. cap. XL. historiæ naturalis Plinianæ, & Burman. ad Ovidii L. VII. *Metamorph.* 17. p. 447. Ubi etiam observat differentiam inter *excudere*, quod est: *cudendo producere*: & *excutere*, quod est: *jactatione abjicere*, seu *à se expellere*. Sed horum Philologorum pace, quum verbum *excutio* ab *ex*, & *quatio* derivationem habeat, jam apparet per hoc potius, quam per illud ignis productionem melius exprimi, si ignis scintillæ ubique dispersæ credantur, & non in silice, aut in calybe tantum latere, ut infra magis declarabimus.

18

Num in ferro, aut silice atomi latent? Quis inclusit? aut cur sua sponte non emicant [a]? aut quomodo semina ignis [b] in materia frigidissima permanere potuerunt?

a *Non emicant? aut quomodo*: Hæc in nostro Codice desiderantur.

b *Semina ignis*. Bon. *Numina ignis*.

19

Omitto silicem [a], ac ferrum. Orbem vi-

vitreum [b] plenum aquæ si tenueris in sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur; etiam in durissimo frigore.

---

a *Omitto silicem, ac ferrum*. Al. *mitto*.

b *Orbem vitreum* &c. Etiam Clemens Alexandrinus L. VI. *Stromat.* ait: *Artem excogitasse viam, qua a sole lux procedens, & vas vitreum, aquæ plenum permeans, ignescit*; sed non inde consequens est, aquam ignem producere.

20

Num etiam in aqua ignem esse credent [a]? atqui de sole [b] ignis ne æstate quidem

---

a *Num etiam in aqua ignem esse credent?* Bon. *in aquam*. Al. *esse credendum est*. Si de igne, & aqua elementaribus sermo fiat, verissima est Lactantii sententia, quam habet L. II. cap. x. seg. 18. *Neque aqua nasci potest ex igne, neque rursus ignis ex aqua*; quoniam quum hæc simplicia sint, unum in alio contineri non potest. At quum ad corporum mixtorum omnia simul elementa aliquo modo concurrant, & secundum recentiorum Philosophorum systema nullum detur corpus, quod ignem quodammodo non contineat, exponendum superest, quare is sua sponte aliquando non emicet ex quacumque materia. Gestiunt hoc explicare Nevvtoniani dicentes, ignem illum latentem impediri a corporibus circumam-

dem accendi potest. Si ceræ inhalaveris [c], vel

mambientibus. Sed hoc manifeste falsum in eorundem systemate deprehenditur; siquidem in vacuo, in quo corpora, ut ipsi docent, solida invincem collidi, findi, aut frangi non possunt, neque habent aliquod, a quo circumambiantur. Ergo quare ignis ex eis non erumpit? Reponunt, ut nuper audivi: de facto aqua in Machina pneumatica ebullit, sicut in ære caldario accidit, flammis suppositis. At quare ergo aqua illa ex machina, statim extracta, frigida, & talis est, qualis ibidem fuerat posita? Quare ignis non cernitur? Quare in eadem machina pulvis pyrius, aut materia combustibilis non accenditur? Hactenus ratio ulla, quæ id clare ostendat, reperta non est.

b *Atqui de sole* &c. A majori ad minus heic fit argumentum; nam si alicunde ignis semina latentia sponte sua emicarent, utique ex solaribus radiis; a quibus tamen ne æstate quidem media id fieri posse videmus. Non enim quicquam efficitur, si aut scintillas per machinam electricam excussas, aut ignem per speculum, seu vitrum ustorium cum re aliqua communicatum obtrudas; nam ratio in promptu est utrique experimento contraria; in primo scilicet per motum, in secundo per radiorum collectionem calor intenditur in summum, qui combustibili materiæ participatus, ignem in ea producit, sicuti cum Nostro diximus ad Lib. II. cap. x. seg. 19. Non itaque per atomos igneos ubique dispersos, id fieri revera demonstratur.

c *Si ceræ inhalaveris*. Al. *inhaelaveris*. Al. *inalaveris*. Ceræ apud antiquos pictæ quædam tabellæ di-

vel si vapor læve aliquid attigerit [d], aut crustam marmoris [e], aut laminam: paullatim per minutissimos rores aqua concrescit. Item de halitu terræ, aut maris nebula existit [f]: quæ

dicebantur, in quibus non solum characteres; sed etiam virorum, mulierum, ac rei cujuscumque effingebantur imagines; quæ atria, & domorum parietes ornabant; Unde Ovidius L.I.Fastor. p.455.℣.7.

Perlege dispositas generosa per atria ceras.

& Juvenalis Satyr. 8. ℣. 19.

Tota licet veteres exornent undique Ceræ
Atria &c.

Quomodo autem cera temperaretur colore, vide Plin. L. XXI. cap XIV., & L. VII. cap.IX. Vitruvii, ex quibus disces quomodo parietibus, & atriis cera punica inducebatur, ut marmoris levigati speciem præseferrent. Heic Lactantius de his intelligendus est; nam si iis aliquis inhalaverit, nitor eorum in parte, humida ceu caligine, fuscatur, uti in speculis contingere videmus, quæ ex proximo oris halitu irrorantur.

d *Vel si vapor læve aliquod attigerit*. Al. *levis*, Scilicet *vapor*. Al. falso putant in nostro Cod. legi *lene*: quæ tamen, teste Aldo, est lectio Codicis Longobardici, pariter Bonon. Idem quod superius heic exemplis ostendere pergit Noster; nam Tò *læve aliquid* heic significat rem quamcumque expolitam, quæ dente, aut cote, levigata ita sit, ut niteat. Horat. L.II. Serm. Sat. VII. ℣. 87.

Externi ne quid valeat per læve morari.

e *Aut crustam marmoris*. In Bon. Cod. *Crystam* *y* pro *u*, quod etiam & in aliis Codicibus, ac in lapidibus scriptis aliquando observavimus.

quæ aut disperſa [g] humidum facit quicquid texerit [h], aut collecta, in arduos montes in ſublime, vento arctata [i] ſtipatur in nubem, atque imbres maximos dejicit [k].

f *Item de halitu terræ, aut maris, nebula exiſtit.* Eſt enim vapor humidus, qui in aere concreſcit, & vel ſtatim diſſolvitur in guttas minimas, vel in nubes conglobatur; illa ſcilicet, de qua heic ſit ſermo, ab alia diverſa, de qua vide *ad Symp. Ænig.* VIII.

g *Quæ aut diſperſa.* In Bon. Cod. *quæ aquam diſperſam.*

h *Humidum facit quicquid texerit.* Sic lego, & reſtituo; nam in noſtro Bon. Cod. habetur: *humi facit.* Ubi Al. *humefacit.* Al. *humeſcit.*

i *Et in ſublime, vento arctata.* Sic reſtituo ex noſtro Bon. Cod., in quo pro *arctata*, ſcribitur more antiquo: *artata*, & correctoriis punctis ſubſignatur. Al. omiſſa copula legunt: *vento rapta.* Quod omnino repugnat; nam nebula, quum exhalatio ſit admodum tenuis, vento potius valido diſſipatur, quam rapiatur in ſublime. Si autem per auram tenuem illuc leniter nebula deferatur, ubi gignendæ nubis aptus locus eſt; ibi vento frigefacta, in nubem cogitur aquoſam, ut Metereologiſtæ docent, quum de nubibus, & nebula loquuntur.

k *Dejicit.* Bon. *deicet.*

21

Ubi ergo dicimus liquoris atomos eſſe [a]? tum

a *Ubi ergo dicimus, liquoris atomos eſſe?* Sic reſti-

tum in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil poteſt conſiſtere in eo, quod nec tangitur, nec videtur.

ſtituo, nam in Bon. pro *Vbi* legitur *humi*. Al. pro *atomos* habent: *liquores natos*. Atomos aquarum annuloſos eſſe dicunt Epicuræi; quomodo ergo vel in vapore, vel in halitu, vel in vento conſiſtere poſſunt, & tamen nec videri, nec tangi? Sit quantumvis tenuis, & exilis quiſque, & iccirco inſenſibilis, non renuo; at quomodo, quum adeo multi ſint, ſenſus noſtros effugiunt, & continentur in rebus, quæ non habent unde conſiſtant?

22

Quid ego de animalibus loquar [a], in quorum corporibus nihil ſine ratione, ſine ordine, ſine utilitate, ſine ſpecie figuratum videmus? adeo ut ſolertiſſima, & diligentiſſima omnium partium, membrorumque deſcriptio [b] caſum, ac fortunam repellat.

---

a *Quid ego de animalibus loquor?* Al. *Quid ergo*. Nobiſcum legunt Aldus, & Schottus.

b *Omnium partium, membrorumque deſcriptio*. Sic fere Cicer. L. 1. *de Nat. Deor.*

23

Sed putemus, artus, & oſſa, & nervos, & ſanguinem de atomis poſſe concreſcere.

Quid

Quid ſenſus, cogitatio, memoria, mens, ingenium [a], quibus ſeminibus coagmentari [b] poſſunt? *Minutiſſimis* inquit. Sunt ergo alia majora. Quomodo igitur inſecabilia?

a *Memoria, mens, ingenium*. In aliquibus Tò *Mens* non habetur; ſed omnino Firmiani manum indicat vocabulum, quo ſæpe eum abuti notavimus pro ea facultate ſignificanda, quam imaginativam, ſeu fantaſiam, ſeu in hominibus rationis uſum, prout à phantaſmatibus pendet appellare conſuevimus.

b *Coagmentari*. Al. *coaugmentari*. Al. *augumentari*.

24

Deinde ſi ex inviſibilibus [a] ſunt, quæ non videntur: conſequens eſt, ut ex viſibilibus ſint, quæ videntur. [b] Cur igitur nemo videt?

a *Deinde ſi ex inviſibilibus*. Al. *denique* ſi &c.

b *Conſequens eſt, ut ex viſibilibus ſint, quæ videntur*. Hæc in aliis ordine inverſo leguntur, in aliis vero deſiderantur.

25

Sed ſive inviſibilia, quæ ſunt in homine [a] conſideres, ſive tactilia [b], quæ veniunt ſub aſpe-

a *Quæ ſunt in homine conſideres*. Al. *conſideret*.

b *Sive tactilia*. Sic etiam Aldus Al. *tractabilia*. Al. *tactibilia*. Lucretius L. v. V. 152.

Tactile nil nobis quod ſit, contingere debet.

pectum, ratione utraque constare quis non videt? Quomodo ergo sine ratione coeuntia possunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam, mirabilemque rationem [c]. Quæ quia supra hominis sensum, & ingenium est, cui rectius, quam divinæ providentiæ tribuenda est?

c *Maximam, mirabilemque rationem*. Vide quo sensu dixerit sæpe Lactantius, bruta animalia habere rationem. Scilicet, prout non sunt casu, & fortuito partium, & atomorum concursu producta; sed divina sic disponente ratione.

26

An simulacrum hominis, & statuam ratio, & ars fingit, ipsum hominem de frustis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid simile veritatis [a] in ficto, quum summum, & excellens artificium nihil aliud, nisi umbram, & extrema corporis lineamenta possit imitari? Num potuit humana solertia dare operi suo aut motum aliquem, aut sensum?

a *Et quid simile veritatis* &c. Heum. mallet *veritati*. Sed libri omnes repugnant.

27

Mitto usum videndi, audiendi [a], odoran-

randi, cæterorumque membrorum vel apparentium, vel latentium mirabiles utilitates. Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquam ne igitur sanus existimat, quod homo ratione, & consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse? Vides, in quæ deliramenta inciderint [c], dum nolunt effectionem [c], curamque rerum Deo dare.

---

a *Mitto usum videndi*. Al. *omitto sensum videndi.* Legimus cum tribus Bononiensibus.

b *Inciderint*. Al. *inciderunt*.

c *Effectionem*: Notat hanc vocem Walchius, tamquam minus latinam; errat tamen; nam, ut bene heic notat Bunem., est Ciceronis L. III. *de finibus*.

28

Concedamus tamen his, ut ex atomis fiant, quæ terrena sunt: num etiam cælestia? *Deos*, ajunt [a], *incorruptos*, *æternos*, *beatos esse*, *solisque dant immunitatem*, *ne concursu atomorum concreti esse videantur*.

---

a *Deos*, *ajunt*, Al. *dum ajunt*.

29

Si enim dii quoque ex illis constitissent,

sent [a], dissipabiles fierent [b], seminibus aliquando resolutis, atque in naturam suam recurrentibus [c]. Ergo si est aliquid, quod atomi non effecerint: cur non & cætera [d] eodem modo intelligamus?

---

a *Si enim dii quoque ex illis constitissent*. Al. *si Deos quoque ex illis constituissent*. Aldus legit nobiscum.
b *Dissipabiles fierent*. Etiam hanc vocem, ut raram notat Walchius; sed latina est; eam quippe idem Cicero usurpat in hoc eodem sensu L. III. *de Natura Deorum*.
c *in naturam suam recurrentibus*. Al. *reverten-tibus*.
d *Et cætera*. Al. copulam omittunt.

30

Sed quæro: ante quam mundum primordia ista generassent [a], cur sibi dii habitaculum non ædificaverunt [b]? Videlicet, nisi atomi coiissent, cælumque fecissent, adhuc dii per medium inane penderent [c].

---

a *Generassent*. Al. *generarent*.
b *Non ædificaverunt*. Al. *ædificaverint?*
c *Per medium inane penderent*. Al. *in aere*.

31

Quo igitur consilio, qua ratione [a] de con-

confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis inferius terra conglobaretur [b], cælum desuper tenderetur, tanta siderum varietate distinctum, ut nihil unquam excogitari possit ornatius?

a *Quæ ratione*. Bon. *qua passione*.
b *Terra conglobaretur*. Al. numero plurali: *Terræ conglobarentur*.

32

Tanta ergo qui videat, & talia, potest existimare, nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina; sed ex micis subtilibus [a], & exiguis concreta esse tanta miracula [b]?

a *Ex micis subtilibus*. Al. *ex atomis*.
b *Tanta miracula*. Scilicet corpora mirabilia. Ut Martiplis L. 1. Epig. 1.
.... *Sileat miracula Memphys*.

33

Nonne prodigio simile est, aut natum esse hominem, qui hæc diceret, aut extitisse, qui crederet? ut Democritum, qui auditor ejus fuit: vel Epicurum, in quem vanitas omnis de Leucippi fonte [a] profluxit.

At

a *De Leucippi fonte*. Vide notas ad hujusce cap. §. 3.

34

At enim (ficut alii dicunt [a]) *natura mundus effectus eft* [b] , *quæ fenfu* [c] , *& figura caret* . Hoc vero multo eft abfurdius . Si natura mundum effecit [d] , confilio, & ratione fecerit , neceffe eft;is enim facit aliquid , qui aut voluntatem faciendi habet , aut fcientiam .

---

a (*Sicut alii dicunt*) Scilicet Straton , & difcipuli ejus , de quibus ad cap. hujus initium diximus .
b *Natura effectus eft* . Bon. *natura eft* .
c *Quæ fenfu* . Bon. *quem* .
d *Mundum effecit* . Al. *fecit* . Al. *& fecit* .

35

Si caret fenfu , ac figura, quomodo poteft ab ea fieri , quod & fenfum habeat , & figuram [a] ? Nifi forte quis arbitretur , animalium fabricam tam fubtilem [b], tamque mira-

---

a *Si caret fenfu , ac figura , quomodo poteft ab ea fieri , quod & fenfum habet & figuram ?* Bon. *caret fenfum .... quod & in fenfum habet , & in figuram ?* Effectus enim nequit effe fua cauffa perfectior . De figura vide infra ad cap. XVIII. feg. 13.
b *Tam fubtilem* . Sic etiam Aldus Al. *tam fubtiliter* .

rabilem [c] a non sentiente natura formari, animarique potuisse; aut istam cæli speciem tam providenter ad utilitates viventium temperatam, nescio quo casu, sine conditore, sine artifice, subito extitisse.

c *Tamque mirabilem*. Hæc absunt a nonnullis.

36

Si quid est, inquit Chrysippus [a], *quod efficiat ea, quæ homo, licet ratione sit præditus, facere non possit, id profecto est majus, & fortius, & sapientius homine*. Homo autem non potest facere cælestia; ergo illud, quod hæc efficiat [b], vel effecerit, superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate.

a *Si quid est, inquit Chrysippus*. Vide L.1. cap.v. seg.20., & cap. VI. seg.9.
b *Ergo illud, quod hæc efficiat, aut effecerit*. Al. *quod hoc efficiet*.

37

Quis igitur potest esse, nisi Deus? Natura vero, quam veluti matrem [a] esse rerum

a *Natura vero, quam veluti matrem*. Al. *quis potest igitur nisi Deus naturas non quomodo veluti* &c.

rum putant, si mentem non habet, nihil efficiet[b] unquam, nihil molietur. Ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia.

b *Si mentem non habet nihil efficiet unquam, nihil molietur*. Bon. *nihil movetur*.

§ 38 §

Si autem consilio suo[a] utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad faciendum[b], virtute ad consummandum, potestate ad regendum, & continendum, cur natura potius, quam Deus nominatur[c]?

a *Si autem consilio suo utitur*. Sic etiam Aldus. Al. Tò suo non habent.
b *Arte ad faciendum*. Al. *ad efficiendum*.
c *Cur natura potius, quam Deus nominatur?* Hæc notanda erant ab iis, qui inter *Naturalistas* Lactantium veriti non sunt recensere.

§ 39 §

Aut si concursus atomorum, vel carens mente netura, ea quæ videmus[a] efficit, quæ-

ro,

a *Quæ videmus efficit*. Al. *effecit*. Vide Cicer. de *Nat. Deor.* L. II. cap. XXXVII.

ro, cur facere cælum potuerit, & urbem, aut domum non potuit: ? cur montes marmoris fecerit, columnas, & simulacra non fecerit?

40

Atqui debuerant [a] atomi etiam ad hæc efficienda concurrere, siquidem nullam positionem relinquunt, quam non experiantur [b]; nam de natura, quæ mentem non habeat, non est mirandum, quod hæc facere oblita sit.

---

a *Atqui debuerant*. Bon. *adquin*. Al. *debuerunt*. Al. *potuerant*. Al. *non debuerant*.

b *Quam non experiantur*: In Bon. hoc verbum punctis subsignatur, & in margine adsunt duo characteres, sic distincti *c....a....*

41

Quid ergo est? Utique Deus, quum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec majus ad molem, * quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse; in quibus etiam hominem [a] ipsum, cui particulam de sua sapien-

---

* Vide Diss. xxix. Cap. vii. §. viii.

a *In quibus etiam hominem*. Bon. & Aldus Tò *etiam* non habent.

pientia dedit, & instruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat [b], ut ipse sibi efficeret, quæ ad usus suos[c] essent necessaria.

---

b *Fragilitas terrena capiebat*. Al. *cupiebat* Bon. *quanta fragilitas*.

c *Quæ ad usus suos*. Sic etiam Aldus. Al. *in usus suos*.

42

Si vero in hujus mundi (ut ita dixerim) Republica nulla providentia est, quæ regat, nullus Deus, qui administret, nec omnino sensus ullus in hac rerum natura pollet: unde igitur mens humana tam solers, tam intelligens orta esse credetur?

43

Si enim corpus homini ex humo fictum est [a], unde homo [b] nomen accepit: animus ergo, qui sapit, qui rector est corporis, cui membra obsequuntur, tanquam regi, & imperatori, qui nec aspici, nec comprehendi potest, non potuit ad hominem, nisi a sapiente natura pervenire.

---

a *Ex humo fictum est*. Al. *ex humano factum est*.

b *Unde homo*. In quibusdam secunda vox desideratur, quam etiam Aldus restituit.

§ 44 §

Sed ſicut omne corpus mens, & animus gubernat, ita & mundum Deus. Nec enim veriſimile eſt, ut minora, & humilia[a] regimen habeant: majora, & ſumma non habeant.

---

a *Minora, & humilia*. Al. aut unam vocem, aut copulam omittunt.

§ 45 §

Denique M. Cicero in Tuſculanis[a], & in Conſolatione: *Animorum*, inquit, *nulla in terris origo inveniri poteſt; Nihil eſt enim*[b] *in animis miſtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum*[c] *eſſe videatur, nihilve humidum*[d], *aut flabile*[e] *aut igneum*.

His

---

a *Cicero in Tuſculanis* &c. Lib. 1. ſic ait: *Hanc nos ſententiam ſecuti, his ipſis verbis in Conſolatione hæc expreſſimus. Animorum* &c.

b *Nihil eſt enim*. Al. *Nihil eſt, inquit* &c. Aldus noſtram retinet lectionem.

c *Atque fictum*. Sic etiam Schottus qui tamen pro *atque*, legit *aut*. Al. *factum*.

d *Nihilve humidum*. Al. *nihilque*. Al. *nihilne*.

e *Aut flabile*: Bon. *flavile*.

46

His enim in naturis nihil est [a] *, quod vim memoriæ , mentis , cogitationis habeat , quod præterita teneat, & futura provideat* [b]*, & complecti possit præsentia ; quæ sola divina sunt . Nec enim invenietur unquam* [c]*, unde ad hominem venire possint , nisi a Deo .*

a *His enim in naturis* . Bon *enim innatum* . Isæus: *His enim naturis nihil inest* : Schottus legit nobiscum .
b *Quod & præterita teneat* . Al. *quo &* . Quidam ordinem horum verborum invertunt .
c *Invenietur unquam* . Al. *inveniuntur* . Al. *nusquam* . Schottus : *usquam* .

47

Exceptis igitur duobus , tribusve calumniatoribus vanis , quum constet , divina providentia mundum regi , sicut & factus est , nec sit quisquam , qui Diagoræ , Theodorique [a] sententiam , vel Leucippi [b] inane com-

a *Diagoræ , Theodorique* . Bon. *Diagoræ , Teocriti sententia* &c. Superius in hocce eodem capite de iis locuti sumus . Sed quid heic dicendum esset de illis , qui Diagora , & Theodoro sine dubio dementiores , & certe deteriores , eandem istorum sectam infando labore tuentur ? Superat humanæ mentis captum iniquitatis magnitudo .

commentum, vel Democriti, Epicurique levitatem præferre audeat autoritati vel illorum septem priorum [c], qui sunt appellati sapientes, vel Pythagoræ [d], vel Socratis, vel Platonis, cæterorumque [e] summorum Philosophorum [f], qui esse providentiam judicaverunt. Falsa igitur est & illa sententia, qua putant, terroris, [g] ac metus gratia religionem a sapientibus istitutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent.

Quod

---

b *Leucippi, ... vel Democriti, Epicurique*. De quibus jam ad capitis hujus initium mentio facta est.

c *Illorum septem priorum*. Vide ad L. IV. cap. I. seg. 9. ubi de septemvivis Græciæ sapientibus actum est.

d *Vel Pythagoræ*. Bon. *Pythagorum*.

e *Vel Socratis, vel Platonis, cæterorumque*. Hæc in Bon. desunt.

f *Summorum Philosophorum*. Prima vox abest a pluribus. Petrus Baelius, ut atheismi imane crimen extenuaret, omnes philosophos paganos, tamquam *Naturalistas* traduxit, inde adversus istos dicta omnia collegit, ut inferret, idololatriam longe pejorem esse atheismo; quem argutandi modum ex iis, quæ heic Noster habet, & in antecedentibus ostendit, penitus vanum, ac mendacem, cordati omnes deprehendent.

g *Terroris, ac metus caussa*. Bon. *erroris, ac metus*, Ut etiam superius notavimus.

48

Quod si verum sit, ergo derisi ab antiquis sapientibus sumus. Quod si fallendi nostri, atque adeo totius generis humani caussa[a] commenti sunt religionem, sapientes igitur non fuerunt, quia in sapientem non cadit mendacium.

49

Sed fuerint sapientes: quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo[a] indoctos, sed Platonem quoque, ac Socratem fallerent, & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes, tam facile deluderent?

a *Ut non tantummodo* &c. Hoc ultimum verbum in nostro Cod. desideratur.

50

Est igitur divina providentia, ut senserunt ii homines[a], quos nominavi, cujus vi, ac potestate omnia, quæ videmus, & facta sunt, & reguntur.

Nec

a *Ut senserunt ii homines* &c. Qui certe Leucippum, Democritum, Epicurum, Stratonemque validissimis argumentis refutarunt.

51

Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta dispositio [a], tanta in servandis ordinibus, temporibusque constantia, aut demum potuit sine aliquo, qui dux sit fictori [b], oriri, aut constare tot sæculis sine incola potenti: aut in perpetuum gubernari sine perito, ac sentiente rectore [c], quod ratio ipsa declarat.

---

a *Tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus* &c. Bon. *tanta Dei .... in conservandis* &c. Al. *demum*.

b *Aut demum potuit sine aliquo, qui dux sit fictori*. Sic ex nostro Cod. restituo, ubi Al. legunt: *aut olim sine provido artifice*.

c *Sine perito, ac sensiente rectore*. Al. *sine perito, ac sine rectore*. Ai. *sine perito, ac sapiente rectore*.

52

Quicquid est enim, quod habet rationem, ratione sit ortum, necesse est. Ratio autem sentientis, sapientisque naturæ est: sapiens vero, sentiensque natura, nihil aliud potest esse, quam Deus [a]. Mundus autem, quo-

---

a *Sapiens vero, sentiensque natura nihil aliud potest esse, quam Deus*. Vide Cicer. L. II. de *Natura Deor.*, ubi plurimas affert Naturæ definitiones a Phi-

quoniam rationem habet, qua & regitur, & constat: ergo a Deo factus est.

Philosophis traditas, & Strumii diatriben *de Naturæ vocabulo*, ejusque significationibus apud antiquos usitatis.

§ 53 §

Quod si est conditor, rectorqur mundi Deus, recte igitur, ac vere religio constituta est: autori enim rerum, parentique communi honos, veneratioque debetur.

CAP. XI.

§ 1 §

Quoniam constitit [a] de providentia, sequitur, ut doceamus, utrum ne multorum deorum [b] esse credenda sit, an potius unius.

a *Constitit*. Al. *constat*.
b *Utrumne multorum Deorum*. Al. hocce ultimum verbum omittunt.

§ 2 §

Satis (ut opinor) ostendimus [a] in nostris

a *Ostendimus*. Al *docuimus*. En Lactantii testimonium de Libris *Divin. Inst.* a se jam vulgatis, quum ista scribebat.

ſtris Inſtitutionibus, deos multos eſſe non poſſe, quod divina vis [b], ac poteſtas ſi diſtrahatur in plures, diminui eam neceſſe ſit [c]. Quod autem minuitur utique mortale eſt [b]: ſi vero mortalis [e] non eſt, nec minui, nec ſiividi poteſt.

b *Divina vis*. Confer hæc cum iis, quæ leguntur Lib. I. cap. III.

c *Diſtrahatur in plures, diminui eam, neceſſe ſit*. Bon. *in pluribus, deminui* &c. Al. *in plures, diminuitur utique* &c. Al. *diſtribuatur*. Al. quatuor ultima verba omittunt.

d *Quod autem minuitur, utique mortale eſt*. Al. *diminuitur, mortalis eſt*, aliis omnibus omiſſis.

e *Si vero mortalis* &c. Iſæus: *ſi autem*.

3


Deus igitur unus eſt: in quo vis, & poteſtas conſummata [a] nec minui poteſt, nec augeri. Si autem multi ſint, [b] dum habent ſinguli poteſtatis aliquid, ac numinis [c], ſumma ipſa decreſcit, nec poterunt ſinguli habere totum, quod eſt commune cum pluribus [d]: unicuique tantum deerit, quantum cæteri poſſidebunt. Non

a *In quo vis, & poteſtas conſummata*, nec minui poteſt &c. Al. *conſummata eſt, nec* &c.

b *Si autem multi ſint*. Al. *ſi autem ſunt multi*.

c *Ac Numinis*. Al. *ac muneris*.

d *Quod eſt commune cum pluribus*. Hæc Heum. rejicit, tamquam gloſſema.



Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo [a] multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento, aut grege [b] duces multi, nec in uno examine [c] multi reges; sed ne in cælo quidem [d] multi soles esse potuerunt, sicut nec animæ plures in uno corpore, adeo in unitate natura universa consentit.

---

a *Nec in una domo*. Heum. mallet: *Ut nec in una domo*.

b *Nec in armento, aut Grege*. Al. *&* *Grege* Heum. *Armentorum Grege*: Bon. *aut Greges*.

c *Nec in uno examine*. Scilicet *Apum*. Al. *in uno regimine*. Aldus legit nobiscum.

d *Sed ne in Cælo quidem*. Al. *sed nec* &c. At Fontanellio, aliisque similibus, jam tot sunt in Cælo soles, quot fixa sunt sydera; quamquam non uni, sed totidem mundis, unicuique suum, designatos.



Quod si mundum
Spiritus intus alit [a], *totamque infusa per artus* *Mens*

---

a *Spiritus intus alit*: Vide L.I. cap.v., & L.vii. cap. III. Quid de hac sententia dixerit Firmianus, ut intelligas, qua ratione procedat, torquendo sententias Ethnicorum falsas contra eosdem, quod jam superius notavimus.

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:

apparet testimonio poetæ, unum esse mundi habitatorem [b] Deum, siquidem corpus omne, nisi ab una mente incoli, regique non potest.

b *Unum esse mundi habitatorem*. Al. *gubernatorem*. Sed male; nam Lactantius ad hominem heiç eos arguit, qui mundum Dei corpus putabant, in quorum sententia una tantum anima eidem tribui debebatur.

6

Omnem igitur divinam potestatem necesse est in uno esse, cujus nutu, & imperio regantur omnia, & ideo tantus est, ut ab homine non possit aut verbis enarrari, aut sensibus æstimari [a]:

a *Aut sensibus æstimari*. Al. sensu existimari; sic Schottus.

7

Unde igitur ad homines opinio multorum deorum persuasione pervenit [a]? Nimirum

a *Persuasione pervenit?* Sic omnes, quos vidimus, ha-

rum ii omnes, qui coluntur, ut dii, homines fuerunt [b], & iidem primi, ac maximi reges: ſed eos aut ob virtutem, qua profuerant [c] hominum generi, divinis honoribus affectos eſſe poſt mortem: aut ob beneficia, & inventa, quibus humanam vitam [d] excoluerant, immortalem memoriam conſecutos [e], quis ignorat? Nec tantum mares, ſed & fœminas plures [f].

habere comperimus; placet tamen Francii Conjectura: *perſuaſioque*, & magis Heumanni: *perſuaſiove*.

b *Homines fuerunt*. Vide L. I. cap. xv., & ſeq.

c *Ob virtutem, qua profuerant*. Al. *qua profuerunt*. Al. *præfuerunt*.

d *Et inventa, quibus humanam vitam*. Al. *aut inventa*. Bon. Cod. hoc ſecundum verbum punctis notat.

e *Immortalem memoriam conſecutos*. Bon. *immortalitatem memoriam conſecutus*: & ſic Aldus.

f *Nec tantum mares; ſed & fœminas plures*, Heum. hæc omnia delenda eſſe cenſuit. Al. vero ultimum duntaxat verbum detrahunt.

§ 8

Quod quum vetuſtiſſimi Græciæ ſcriptores, quos illi θεολόγυς [a] nuncupant, tum etiam

a *θεολόγυς nuncupant*. In Bon. Cod. *Theologi nuncupant*. Al. *Theologos*: latinis characteribus.

etiam Romani Græcos secuti, & imitati docent, quorum præcipue Euhemerus, ac noster Ennius [b], qui eorum omnium natales, conjugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrat [c].

b *Quorum præcipue Euhemerus, ac noster Ennius*, Bon. *aut noster* &c. Heum., *Lege*, inquit, *sine dubitatione præcipui* &c. Vide L. I. cap. XIV.

c *Obitus, sepulcra, demonstrant*. Bon., & alii *simulacra demonstrant*. Et Tò *obitus* punctis obsignatur in eodem Cod. Aldus legit nobiscum vide L. I. cap. XVII. seg. 7.

9

Et secutus eos Tullius [a] tertio de natura Deorum libro dissolvit publicas religiones: sed tamen veram, quam ignorabat; nec ipse, nec alius quisquam potuit inducere.

a *Tullius* L. I. cap. XLII. *de N. Deor*.

10

Adeo & ipse [a] testatus est, falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. *Utinam* [b], inquit, *tam facile vera invenire pos-*

a *Adeo & ipse*. Al. *ideo & ipse*. Et sic Schottus.

b *Utinam* &c, Cicero L. I. *de N. Deor*. c. XXXII.

possem, *quam falsa convincere*. Quod quidem non dissimulanter, ut Academicus, sed vere, atque ex animi sententia proclamavit, quia veritas humanis sensibus erui numquam potest [c]: quod assequi valuit humana providentia [d], id assequutus est, ut falsa detegeret. Quicquid enim fictum est, & commentitium, quia nulla ratione subnixum est, facile dissolvitur.

---

c *Erui numquam potest*. Al. *non potest*. Aldus nobiscum legit.


d *Assequi valuit humana providentia*. Al. *valuit* ..., *prudentia*. Al. *potuit*.



Unus est igitur princeps, & origo rerum Deus, sicut Plato in Timæo [a] & sensit, & docuit: cujus majestatem tantam esse declarat, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit.

---

a *Plato in Timæo*. Vide L.I. cap. VIII. seg. 1. & Ciceronem de *Universitate* ubi sic Platonis verba in latinum transtulit: *Illum quidem, quasi parentem hujus universitatis, indicare in vulgus nefas*. Confer hæc cum iis, quæ L. c. Lactantius habet, & rationem percipies, quare nefas dixerit in vulgus indicare, Deum esse mundi parentem.




Idem teſtatur Hermes,quem Cicero ait; in numero deorum apud Ægyptios haberi, eum ſcilicet, qui ob virtutem, multarumque artium ſcientiam Termaximus nominatus eſt, & erat [b], non modo Platone, verum etiam Phythagora, ſeptemque illis ſapientibus longe antiquior [c].

---

a *Hermes, quem Cicero.* Vide L. I. cap. VI. ſ. 3. & L. VII. cap. XIII. ſeg. IV. Cicer. L. III. *de Nat. Deor.* cap. XXII. & Stobæum *Serm. LXXX. de diis.*

b *Termaximus nominatus eſt, & erat.* Al. *Triſmegiſtus.* Heum. *nominatus erat.*

c *Non modo Platone, verum etiam Pythagora, ſeptemque illis ſapientibus longe antiquior.* Bon. addit *fuit.* Al. omittunt Tò *etiam.* Al. *non modo.* An vere, & quo tempore is floruerit, vide Diſſ. XL. cap. II. ſ. III.



Apud Xenophontem Socrates [a] diſputans ait: *formam Dei* [b] *non oportere conquiri.* Et Plato in legum libris: *Quid omnino ſit Deus*

---

a *Apud Xenophontem Socrates*: Ubi ait: *Ne expectes, quouſque Deorum videris formas. Satis namque erit, opera eorum conſiderando, colere, ac honorare eos.*

Deus, non esse quaerendum: quia nec inveniri possit, nec enarrari.

b *Formam Dei.* Vide Cicer. L. I. *de Nat. Deor.* & Minuc. Felicem pag. 20. Bunem. heic ad cap. II. regredi jubet. seg. 5. Sed opus non est; nam heic Socratis verba referuntur, non Lactantii sensa.

14

Pythagoras quoque [a], unum Deum confitetur, dicens: *incorporalem esse mentem, quae per omnem rerum naturam diffusa, & intenta* [b], *vitalem sensum cunctis animantibus tribuat.* Antisthenes [c] autem in Physico: *unum esse naturalem Deum* dixit, *quamvis gentes & urbes suos habeant populares Deos.*

a *Pythagoras quoque.* Vide L. *de Opif. Dei* c. XVI., & L. I. cap. V. Cicer. L. I. *de Nat. Deor.* Minuc. Fel. ubi supra &c.

b *Quae .... diffusa, & intenta.* Bon. *Quam.* Al. *intacta*; pro *intenta.* Vide *de Opif.* XVI. 10.

c *Antisthenes.* Vide L. I. cap. V. Cic. *de Nat. Deor.* L. I. cap. XIII. Minuc. Felicem ubi supra.

d *Populares Deos.* Hoc ultimum verbum abest a quibusdam.

15

Eadem fere & Aristoteles [a] cum suis Peripateticis, & Zenon cum suis [c] Stoicis.

Longum est enim singulorum sententias exequi : qui licet diversis nominibus sint abusi , ad unam tamen potestatem , quæ mundum regeret , concurrerunt [c] .

a *Et Aristoteles*. Vide apud Cicer. ubi supra.
b *Peripateticis, & Zenon cum suis*. Hæc desunt in nostro Bon. Cod., de quibus vide ubi supra apud Ciceronem, & Nostrum.
c *Concurrerunt*. Al. *concurrunt*.

16

Sed tamen summum Deum quum & Philosophi , & poetæ , & ipsi denique , qui deos colunt , sæpe fateantur : de cultu tamen , & honoribus ejus nemo unquam requisivit , nemo disseruit , ea scilicet persuasione , qua semper beneficum , incorruptumque credentes , nec irasci eum cuiquam [a] , nec ullo cultu indigere arbitrantur [b] : adeo religio esse non potest , ubi metus nullus est.

a *Cuiquam*. In Bon. Cod. primi characteres puncta habent apposita.
b *Arbitrantur*. Al. arbitrabantur. Forte melius.

C A P. XII.

1

Nunc quoniam respondimus impiæ quorundam , detestabilique imprudentiæ

tiæ [a], vel potius amentiæ, redeamus ad propositum.


a *Deteſtabilique imprudentiæ*. Bon. Cod., & Schottus *prudentiæ*. Al. *impudentiæ*.

2

Diximus, religione ſublata; nec ſapientiam teneri poſſe, nec juſtitiam: Sapientiam, quia divinitatis intellectus, quo differimus a belluis, in homine ſolo reperiatur; Juſtitiam, quia [a], niſi cupiditates noſtras Deus, qui falli non poteſt, coërcuerit, ſcelerate, impieque vivemus [b].

a *Diximus religione ſublatâ nec ſapientiam teneri poſſe, nec juſtitiam: Sapientiam, quia divinitatis intellectus, quo differimus a belluis, in homine ſolo reperitur: Juſtitiam, quia* &c. Sic locum hunc peſſime mutilatum reſtituit primus Fulvius Urſinus ex Vet. ſuo Ms. Cod. eamque lectionem etiam Bunem: ſua conjectura, ex collatione rerum hactenus a Lactantio dictarum ſapienter eſt aſſecutus. Cod. Bon. ſic habet: *Diximus religione ſublata nec ſapientiam quia divinitatis intellectus, quo differimus a belluis in homine ſolo reperiri: juſtitiam, quia* &c. Sed aliorum jam tedet errata referre, quæ ſunt multa, ac intollerabilia.

b *Impieque vivemus*. Al. *viveremus*.



Spectari ergo actus nostros a Deo [a], non modo ad utilitatem [b] communis vitæ attinet; sed etiam ad veritatem: quia religione, justitiaque detractis [c], vel ad stultitiam pecudum amissa ratione devolvimur [d], vel ad bestiarum immanitatem: imo vero amplius; siquidem bestiæ sui generis animalibus parcunt.

---

a *Spectari ergo actus nostros a Deo*. In Bon. Cod. *actus nos*.

b *Non modo ad utilitatem*. Al. *non modo quoad*. Al. *quod ad*. Al. *non modo quia*. Confer quæ Noster dixit supra cap. VIII refutando dicta politicorum, atque Epicureorum, quibus heic iterum ostendit: divinæ providentiæ vestigia in iis ipsis rebus apparere, ex quibus illi eam denegare gestiebant.

c *Religione, justitiaque detractis*. Bon. *religionem, justitiamque*. Al. *detrahitis*.

d *Devolvimur*. Al. *devolvitur*. Al. *revolvimur*.



Quid erit homine truculentius, quid immitius, si dempto metu superiore [b], vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Ti-

a *Dempto meiü superiore*. Heum., & Schottus; *superioris*. Bunem. *de superiore* ad imitationem S. Cypriani in *Epist. ad Donatum*.

5

Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa [a] sustinetur, munitur, gubernatur [b]. Is autem aufertur [c]; si fuerit homini persuasum, quod iræ sit expers Deus, quem moveri, & indignari, quum injusta fiunt; non modo communis utilitas [d]; sed etiam ratio ipsa [e], & veritas persuadet.

a *Per quem vita ipsa* &c. Al. *per quam*.
b *Munitur*, *gubernatur*. Al. *ac gubernatur*.
c *Is autem timor aufertur*. Al. *auferretur*. Al. *auferetur*. Aldus legit nobiscum.
d *Quum injusta fiunt*, *non modo* &c. Al. duo postrema verba aliis anteponunt. Schottus, & Aldus legunt nobiscum.
e *Ratio ipsa*. Aldus addit: *nobis*.

6

Rursus nobis ad superiora redeundum est, ut quia docuimus a Deo factum esse mundum, doceamus quare sit effectus.

C A P. X I I I.




SI consideret aliquis universam mundi administrationem, intelliget profecto, quam vera sit sententia Stoicorum [a], qui ajunt: nostra caussa [b], mundum esse constructum. Omnia enim, quibus constat, quæque generat ex se mundus, ad utilitatem solius hominis [c] accomodata sunt.

a *Intelliget profecto, quam vera sit sententia Stoicorum*. Bon. *intelligit*. Vide Lib. VII. cap. III., & apud Cicer. L.III. *de Finib.*, ac in III. *de Nat. Deor.* & in Lucullo.

b *Nostra caussa*. Sic in Cod. Bon., ac in plerisque, quos vidimus. Al. *nostri caussa*, ut edidit Isæus, & Bunem.qui ei potius quam Thom. credidit; revera tamen Codex Bon. Longobardus *Nostri caussa* legit, teste Aldo.

c *Ad utilitatem solius hominis*. Al. Tò *solius* non habent. Aldus etiam restituit.



Homo igne utitur [a] ad usum calefaciendi,

a *Homo igne utimur*. Bon. *igni*. Al. ordinem mutant horum verborum.

di, & luminis, & moliendorum ciborum [b], ferrique fabricandi: utitur fontibus ad potum, & lavacra, fluminibus ad agros irrigandos, terminandasque regiones: utitur terra ad percipiendam fructuum varietatem [c], Planis ed segetem, collibus ad conferenda vineta [d], montibus ad usum arborum, atque lignorum: utitur mari non solum ad commercia, & copias ex longinquis regionibus [e] perferendas [f], verum etiam ad ubertatem [g] omnis generis piscium.

Quod

---

b *Et moliendorum ciborum*. Sic restituo ex nostro Cod. Bon. *moliri* enim *cibos* latine, & eleganter dicitur, quod quum quidam non intelligerent, scripserunt *molendorum* aut cum Aldo *molliendorum*. Al. *molitandorum*. Al. *coquendorum*. Al. *dequoquendorum* *Moliori* autem *cibos* est eos *instruere*, & *parare*, seu *aptare*.

c *Fructuum varietatem*. Al. *frugum ubertatem*.

d *Planis ad Segetem*, *collibus ad conferenda vineta* &c. Sic in nostro Bon. Cod. Al. priora tria verba vel omittunt, vel postponunt. Vide Cicer. L. II. *de Nat. Deor.* cap. LX., & Lact. L. VII. cap. III. Aldus legit nobiscum.

e *Et copias ex longinquis regionibus*. Vide Cicer. ubi supra. Al. *de longinquis*.


f *Perferendas*. Al. *ferendas*. Al. *deferendas*.

g *Ad ubertatem*. Aldus, & aliqui alii: *ad varietatem*.



Quod si his elementis utitur, quibus est proximus, non est dubium, quin & cælo: quoniam & cælestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperatá sunt [a].

a *Temperata sunt: sol irrequietis* &c. Bon. *temperata sunt, solis inrequietis.*



Sol irrequietis cursibus, & spatiis inæqualibus orbes annuos [a] conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem: & tum abscessu longius ad meridiem [b], tum accessu [c] proprius ad septentrionem, hyemis, & æstatis vicissitudines facit: ut & hybernis [d] humori-

a *Orbes annuos.* Al. *orbis annos.*

b *Et tum abscessu longius ad meridiem* &c. Hæc desunt in Cod. Bon.

c *Tum accessu.* Bon. *tum abscessu*: ut intelligas a primo ad secundum membrum saltum fecisse amanuensem Librarium nostrum infidis oculis exemplar respiciens.

d *Ut & hybernis humoribus, ac pruinis.* Sic etiam Aldus. Al. *ut &* &c.

ribus, ac pruinis in ubertatem terra pinguescat, & æstivis caloribus vel hærbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis, incocta, & fervefacta mitescant [e].

e *Mitescant*. Bon. *migant*.



Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amissi, ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, & cœcas tenebris horrentibus noctes [a] fulgore suæ claritatis illustrat, ut æstiva itinera, & expeditiones, & opera sine labore, ac molestia confici possint; siquidem

Nocte leves [b] melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur [c]

Astra

a *Et cœcas tenebris horrentibus noctes* &c. Bon. copulam omittit. Al. *cœcas tenebras horrendæ noctis* &c. Al. *certas tenebris* &c.

b *Noctæ leves* &c. Carmen Virgilianum *ex L. 1. Georg.* ℣. 289., cujus verba Betulejus immutat.

c *Tondentur* .... Addunt Al. quæ sequuntur Virgilii Carmina tria, quæ tamen ad rem non faciunt. Schottus legit nobiscum. Aldus tribus versibus servatis, delet ultimum sblummodo.

Aſtra etiam cætera vel ortu, vel occaſu ſuo certis ſtationibus[d], opportunitates temporum ſubminiſtrant[e].

d *Certis ſtationibus*. Al. *ſatıonibus*.
e *Temporum ſubminiſtrant*. Al. interſerunt: *plane*, quam vocem etiam Aldus delet.

6

Sed & navigiis, quo minus errabundo curſu per immenſum vagentur, regimen præbent, quum ea rite gubernator obſervans[a], ad portum deſtinati litoris provehantur[b].

a *Ea rite gubernator obſervans*. Al. *caritatem oberans*. Al. *claritatem*. Idem Lact. L. VI. cap. VIII. ſeg. 3. hac de re videndus.
b *Ad portum deſtinati litoris provehantur*. Bon. *ad portus*. Al. *deſtinatum*. Al. *provehatur*. Al. *provehat*. Schottus legit nobiſcum. Aldus *ponebatur*.

7

Ventorum ſpiritu attrahuntur nubes, ut ſata imbribus irrigentur, ut vites fœtibus, arbuſta pomis exuberent. Et hæc per orbem vicibus exhibentur, ne deſit aliquando, quo vita hominum ſuſtineatur[a]. At enim cæteras ani-

a *Suſtineatur*. Schottus: *ſuſtentetur*.

animantes eadem terra nutrit, & ejusdem fœtu etiam muta pascuntur.



Num etiam mutorum caussa Deus laboravit? Minime, quia sunt rationis expertia. Sed intelligimus, & ipsa eodem modo in usum hominis [a] a Deo ficta [b] partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia [c], ut clarum sit, divinam providentiam rerum, & copiarum abundantia, hominum vitam instruere, atque ornare voluisse [d]; ob eamque caussam & aerem volucribus, & mare piscibus, & terram quadrupedibus implevit [e].

a *In usum hominis*. Al. *ad usum*. Al. *hominum*.
b *A Deo ficta*. Al. *facta*.
c *Ad operis auxilia*. Lactant. L.II. cap. XI. seg.I. videndus.
d *Vitam instruere, atque ornare voluisse*. Tria priora verba desunt in Bon. Cod., & *ordinare* pro *ornare* legit.
e *Implevit*. Heum. legi omnino jubet: *implevisse*. Petrus Baelius hæc impugnat impudentissime; sed a nobis refellitur Diss. XXIV. Cap. II. §. VIII.



Sed Academici contra Stoicos [a] differen-

a *Sed Academici contra Stoicos*. Apud Cicer. in Lu-

rentes solent quærere, cur, si omnia Deus hominum caussa fecerit, etiam multa contraria [b], & inimica, & pestifera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra?

Lucullo, & Lact. L. VII. cap. IV. & VII. S. August. *contra Manich.* in Gen. Lib. I. cap. XVI. eandem doctrinam tradunt.

b *Contraria, & inimica*. Bon. *contraria vis & &c.*

10

Quod Stoici, veritatem non respicientes [a], ineptissime repulerunt. Ajunt enim multa esse in gignentibus, & in numero animalium [b], quorum adhuc lateat utilitas [c]: sed eam processu temporum inveniri: sicut jam plura [d] prioribus sæculis incognita necessitas & usus invenerit.

a *Non respicientes*. Heum. mallet *perspicientes*.

b *In gignentibus, & in numero animalium*. Heum. *in ingenti numero animalium*.

c *Quorum adhuc lateat utilitas*. Al. Tò *adhuc*: non habent.

d *Sicut jam plura*. Bon. *jam multa*.

11

Quæ tandem utilitas potest in muribus [a], in

a *In muribus*. Vide apud Plin. cap. VI. L. XXIX., & Har-

in blattis [b], in serpentibus [c] reperiti, quæ homini molesta & perniciosa sunt? [d] An medicina in his aliqua latet? Quæ si est, invenietur aliquando, nempe adversus mala; quum id illi querantur esse omnino malum [e]: Viperam ferunt [f] exustam in cineremque dilapsam, mederi ejusdem bestiæ morsui. Quan-

---

& Harduin. annot. pag. 684. 694., 705., 715. Si Murium caudæ, & capita reducantur in cineres, & melle inungantur, collyrium inde fieri optimum tradunt.

b *In Blattis*. Vide Plinium ubi supra; nam auribus prodesse ajunt, si forte auditus labefactari contigerit.

c *In serpentibus*: Gallæus unicuique notum esse ait, ex illis Theriacon, homini valde utile confici; sed fallitur, nam viperæ dumtaxat ad pharmacum illud adhibentur, de quibus infra agit Lactantius; alius tamen est serpentum in medicina usus, de quo vide Ulissem Aldrovandum, ubi de iis plura refert. Ælianus autem Troglodytas serpentibus vesci consuevisse, narrat, nec desunt apud nos homines, qui serpentes quosdam cibo consumere soleant, ut oculatus testis mihi retulit de quodam nonagenario Eræmita, qui etiam muribus vescebatur.

d *Et perniciosa sunt*. Hocce ultimum verbum abest a Nostro Cod. Bon.

e *Quum id illi querantur esse omnino malum*. Bon. *esse homini non malum*.

f *Viperam ferunt*. Vide Plin. ubi supra cap. IV. & Hard. pag. 687., & seq.

12

Quanto melius fuerat [a] eam prorsus non esse, quam remedium contra se ab ea ipsa [b] desiderari.

---

a *Quanto melius fuerat* &c. Hæc etiam a nonnullis hodie in medium revocantur, qui intelligere nolunt, malum omne a voluntaria hominis depravatione initium habuisse, quod etsi Deus ab eo avertere potuisset; noluit tamen, ut inde & sibi majorem gloriam, & hominibus præmium constitueret.

b *Ab ea ipsa*: Al. secundam; Al. tertiam delent vocem. Nos utramque ex Mss., & prelo editis retinemus.

13

Brevius igitur [a], ac verius respondere potuerunt in hunc modum: Deus cum formas-

---

a *Brevius igitur* &c. Sparkio visum est, non satis apposite heic contra Stoicos Lactantium egisse, quoniam cuncta, quæ a Deo creata sunt, bona fuisse, divino declarantur eloquio; *ita ut quæ deinceps mala acciderint, sibi homo, necesse sit, accepta referat: quippe quæ non naturæ; sed peccati humani sequela essent*. Injusta profecto criminatio; quum ex jam alibi dictis, & præcipue *de Opif. Dei* cap. IV. seg. 2. & L. VII. cap. V. a seg. 14. Nostri mens pateat, & incorrupta doctrina, quæ infra magis, magisque declaratur.

maſſet hominem, veluti ſimulachrum ſuum, quod erat divini opificii ſummum [b], inſpiravit ei ſapientiam ſoli, ut omnia imperio ac ditioni ſuæ ſubjugaret; omnibuſque mundi commodis uteretur: propoſuit tamen ei & bona, & mala [c], quia ſapientiam dedit, cujus

 om-

b *Quod erat divini opificii ſummum*. Al. *Tò divini* omittunt. Al. *opifici*. Al. *opificium*. Heum. *opificii ſui*. Jure heic Noſter hominem appellat ſummum divini opificii, quoniam terrena omnia illi ſubjecit Deus, quem ad ſui contemplationem excitavit, & cujus naturam aſſumpſit.

c *Propoſuit tamen ei & bona, & mala*. Ex dictis, ubi ſupra non ita Noſter heic intelligendus eſt, ut malum aliquod ſive phyſicum, ſive morale primo homini in ſtatu innocentiæ Deus propoſuerit, tamquam præſens; ſed ita, ut bona ea, quæ in illius gratiam fecerat, quibuſque eum donaverat, talia permanerent, ſi ipſe divino præcepto obtemperaſſet; ſecus verò ſi legem ſibi impoſitam violaſſet. Eam violavit, & gratiam, in qua conditus erat, peccando amiſit, & morti, ac cæteris omnibus malis, quibus nunc ſubjacet, factus eſt obnoxius; ſicuti Deus illi ſtatuerat, quum illi dixit: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Gen. II. ℣. 17. Quod etiam per Eccl. XV. ℣. 18. ſeq. ſingulis poſteris ejus repetitum eſt verbis illis: *Appoſui tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei dabitur illi*.

omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est [d].

d *In discernendis malis, ac bonis posita est*. Al. *sita est*. Al. *sata est*. Vide L. VII. cap. IV. seg. 15., ubi eadem docet.



Non potest enim quisquam eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul rejicere, ac vitare, quæ mala sunt. Invicem enim sibi alterutrum connexa sunt [a], ut sublato alterutro [b], utrumque tolli sit necesse.

Pro-

a *Invicem enim sibi alterutrum connexa sunt*. Al. Tò *enim* omittunt Al. legunt: *alterutra*.

b *Sublato alterutro*. Aldus: *sublato altero*. Bon. mutilus heic est, & legit; *Invicem sibi alterutro utrumque si tolli necesse*. Sensus autem est, ut jam LL. cc. exposuimus. Quum nihil sit, quantumvis bonum nobis ad humanam vitam tuendam, & ad æternam consequendam a Deo concessum, quo per liberum arbitrium vel in nostram, vel in aliorum perniciem non possimus abuti, necesse erat, ut bonum prosequendum non solum, verum etiam malum fugiendum, nobis notum esset; namque notitia unius ab alterius notione dependet, quoniam privative opponuntur.

✠ 15 ✠

Propositis igitur bonis malisque, tum demum opus suum peragit sapientia, & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem.

✠ 16 ✠

Ergo sicut bona innumerabilia data sunt homini [a], quibus frui posset, sic etiam mala, quæ caveret. Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod lædere hominem possit: tollitur omnis materia sapientiæ [b], nec erit homini necessaria.

H 2 Po-

---

a *Bona innumerabilia data sunt homini* &c. Hoc ultimum verbum abest a nostro Bon. Ms. Cod., & ab aliis quibusdam.

b *Tollitur omnis materia sapientiæ*: Scilicet eligentis bonum, reprobantis malum, quæ propria sunt prudentiæ officia; sed quum hæc a Gallæo simul, ac a Cellario ignorarentur: *falsum hoc*, ait ille, in Adamo fuisse; iste autem: *fuit*, inquit, *sapientia antequam mala essent, & erit perpetua sublatis malis omnibus*. Et tamen meminisse facile erat paullo supra, nempe seg. 13. Nostrum de ea sapientia disputare: *cujus omnis ratio in discernendis malis, ac bonis sita est*; de qua Jerem. xv. ℣. 19. dicitur: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*. Mala actu non erant, quæ Adamum premerent,

rent, in statu innocentiæ, in quo a Deo creatus fuerat; prævaricationem tamen ejus secuta sunt, quoniam ipse in electione boni, ac mali ea sapientia non est usus, qua a Deo donatus fuerat, & de qua heic noster apertissime loquitur.

17

Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? quum quocumque [b] porrexerit manum, id naturæ aptum, & accommodatum [a] sit; ut si quis velit apparatissimam cœnam infantibus, qui nondum sapiant, apponere, utique id appetent singuli, quo unumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit; & quicquid sumpserint, id illis erit vitale, ac salubre.

a *Aptum*, *& accomodatum*. Al. *& commodum*. Al. *commodatum*. Cicero L. v. *de Finib.* Nostro præivit inquiens: *Omni animali, quod appetit, positum est in eo, quod naturæ est accomodatum*.
b *Quum quotiescumque*: Sic etiam Aldus, & Schottus.
c *Erit vitale*, *& salubre*. Al. *utile*, *& salubre*.

18

Quid igitur nocebit, eos, sicuti sunt, permanere, & semper infantes, ac nescios esse

esse rerum ? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata: decipientur utique [a] per ignorantiam boni, ac mali; nisi accedat his sapientia, per quam habeant malorum rejectionem, bonorumque delectum.

---

a *Decipientur utique*. Al. *decipiuntur*. Respexisse heic Noster videtur illud Isaiæ VII. ℣. 15. *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum, quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum* &c.

19

Vides ergo, magis propter mala opus nobis esse [a] sapientia, quæ nisi fuissent proposita, rationale animal non essemus [b].

---

a *Opus nobis esse*: secunda vox in plerisque Codd. desideratur.

b *Rationale animal non essemus*: Exponi ista debent per ea, quæ habentur L. VII. cap. IV. seg. 13. seq. Quamquam enim homo rationale animal esset tametsi nulla ei vitanda mala a Deo fuissent proposita; non tamen in eo ratio illa appareret, prudentia prædita, qua bona eligit, & mala devitat; nec præmio dignus esset, si bene operaretur, sine aliquo incommodo, sine pugna, sine industria, & labore; *Nam*, ut Apostolus inquit II. ad Timoth. II. ℣. 5. *& qui cer-*

certat in agone; non coronatur, nisi legitime certaverit. Quod si verum est; quanto indignior is corona esset, & laude, qui nullum subiret certamen, nullisque meritis mercedem exposceret?

20

Quod si hæc ratio vera est, quam Stoici nullo modo videre potuerunt [a]: dissolvitur etiam argumentum illud Epicuri: *Deus*, inquit, *aut vult tollere mala, & non potest: aut*

a *Quam Stoici nullo modo videre potuerunt*. Al. *quam Stoici non posuerunt*. Petrus Baelius, qui alicubi adstruere gestit, quod alibi nititur destruere, de iis disputans quæstionibus, Nostrum dixit, misere quidem Epicuri argumentis responsa dedisse; talia tamen illa esse, ut nemo meliora dare possit. *Contin. des Pens. div. Tom.* I. §. LIX. pag. 285. Nam quæ hactenus a Lactantio dicta sunt, nihil aliud efficere pronunciat, quam totam disputationem ad verborum lusum redigere. Siculi enim Lactantius docet, mala hominibus utilia esse propter meliora bona, quæ sibi ex illis comparare possunt; ita contra reponent adversarii: bona ipsa, quæ in nostram utilitatem producta dicuntur, esse nobis nociva, quoniam ex iis ipsis mala nobis provenire queunt: ibidem pag. 286. Quod etsi acute excogitatum est, facile tamen retunditur. In hoc quippe divinæ providentiæ summa maximopere elucet, quod homini inter

aut potest[b] *& non vult : aut neque vult ; neque potest: aut & vult , & potest .*

ter extrema constituto liberum arbitrium dederit, ad id eligendum, quod mallet; & ita quidem, ut quæ bona erant, depravari, vel amitti, sua culpa possent: & contra: si malum aliquod, ipso homine volente, contigisset ; idem malum ipsum media virtute, ac divino auxilio, sciret sibi posse valde prodesse. Ac propterea semper vera est Lactantii responsio ne Epicuri, aut Baelii infringitur cavillationibus ; ut ex mox dicendis constabit.

b *Aut & vult, & potest*. Bon. *& non potest*. Prave ; nam hoc est membrum primæ propositionis.

22

Si vult & non potest[a] *imbecillis est : quod in Deum non cadit . Si potest , & non vult , invidus , quod æque alienum a Deo . Si neque vult , neque potest*[b] *& invidus , & imbecillis est , ideoque neque Deus . Si vult & potest , quod solum Deo convenit , unde ergo sunt mala ? aut cur illa non tollit*[c] *?*

H 4 Scio

a *Si vult , & non potest*: Hæc in nostro Codice desiderantur.

b *Si neque vult , neque potest* : Bon. primum *neque* omittit.

c *Si & vult , & potest , quod solum Deo convenit, unde*


unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit? Sæpe huic quæstioni Noster respondit, & præsertim L. II. cap. IX. L. VII. cap. IV. *de Opif. Dei* cap. IV. *Epitom.* cap. XXIX. & LIX. non tamen responsis ejus aliquando Baelius acquievit; non solum enim in suo pessimo dictionario v. *Mannichæi*, *Marcionistæ*, *Paulicíani*, *Origenes*, *Xenophon*, atque in elucidationibus additis iisdem articulis; verum etiam in dialogis, ac in responsione *ad Provincialem* recoctam, protritamque objectionem, tamquam indissolubilem obtrudit; semper tamen infeliciter, nec sine fallaci artificio; ut vim tribueret formidoloso huic argumento, quod Lactantius facile dissolvit sequenti responsione, quæ a dictis superius necessaria sequela descendit.

22

Scio plerosque philosophorum [a], qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere, & invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus; sed nos ratione perspecta, formidolosum hoc argumentum facile dissolvimus. Deus

a *Plerosque philosophorum* &c. Id quod Ethnicis philosophis contigit, adversus Epicurum disputantibus, nuper heterodoxis quibusdam accidisse vidimus, qui contra Balium hac de re disseruerunt, Kingio præsertim, Clerico, Leibnitio, Buddeo aliisque, qui etsi pro virili ad divinam providentiam propugnandam, erro-

errorefque circa mali originem eliminandos decertaverint; non tamen novum hunc Epicuræum dejecerunt, quoniam fragilibus, atque nutantibus armis adverfus eum dimicarunt. Vide infra ad feg.25.



Deus enim poteft, quicquid velit: & imbecillitas, vel invidia in Deo nulla eft: poteft igitur mala tollere, fed non vult; nec ideo tamen invidus eft [a]: iccirco enim non tollit, quia & fapientiam (ficut docui) fimul tribuit, & plus eft boni, ac jucunditatis in fapientia, quam in malis molæftiæ. Sapientia etiam facit, ut etiam Deum cognofcamus, & per eam cognitionem immortalitatem affequamur, quod eft fummum bonum. Itaque nifi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnofcere.

Sed

a *Poteſt igitur mala tollere; ſed non vult; nec ideo tamen invidus eſt* &c. En refponfio, quæ radicem fecuri obtruncat, fi utrumque abfolute intelligatur. Abfolute enim certum, exploratumque eft, ut is etiam, qui contra difputat tenere debet, Deum omnia poffe, quæ contradictionem non involvunt; noluit tamen abfolute omnia contingentia mala tollere, ut bona inde longe majora præftaret; in quo nec fibi neceffitatem impofuit, nec homini injuriam ali-

aliquam intulit. Non necessitatem sibi, quia si aliquando velit, malum omne de medio tollere, nihil erit, quod voluntati ejus resistat; non homini injuriam, quia non inermem eum ad pugnam exposuit, sed & vires, & arma eidem contulit, & paravit, quibus & vincere, & triumphare possit, si velit.

24

Sed hoc non vidit Epicurus [a], nec alius quisquam: si tollantur mala, tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio in sustinenda, & superanda malorum acerbitate consistit [b]. Ita-

---

a *Sed hoc non vidit Epicurus*: Et quod deterius est, videre noluit Bælius, & noscere detrectant, qui æternam felicitatem nullo labore consequi, temere præsumunt, quamquam ignorare nequeant, ipsum Dei unigenitum multa, & magna pati oportuisse, *& ita intrare in gloriam suam*, ut ipsemet dixit discipulis illis in Emmaus proficiscentibus, quos propterea stultos, & corde ad credendum tardos appellavit. Luc. XXIV. ℣. 25. seq.

b *Cujus ratio in sustinenda, & superanda malorum acerbitate consistit*. Fortitudinis potissimum, & patientiæ ista hæc specimina sunt; unde stultissimi sine dubio dicendi erunt homines illi, qui sine patientia deleciis unice addicti, fortes appellare se invicem insipientissime consueverunt. Bon. *& sufferenda*.

25

Itaque propter exiguum compendium ſublatorum malorum maximo, & vero, & proprio nobis bono careremus[a]. Conſtat igitur, omnia propter hominem propoſita, tam mala, quam etiam bona.

CAP.

---

a *Maximo, & vero, & proprio nobis bono careremus*. Bonum Maximum, & verum, ad quod tamquam ad finem ultimum adipiſcendum, natus eſt homo, Deus ipſe eſt clare in patria contemplandus, quod tunc maxime proprium noſtrum erit, quum loco præmii aſſequemur. Præmium autem præcedi debet a merito illius, qui id eſt conſecuturus; ac propterea ſi labores omnes & mala, quæ in hac vita patimur, auferantur; jam merita nulla erunt, quibus præmium illud, nobis proprium, conſequi poſſimus. Heterodoxi, qui nullum hujuſmodi meritum hominibus neceſſarium eſſe volunt, veriti, ne Chriſti Domini meritis videantur injurii, intelligere nolentes, omne meritum noſtrum ex divina ordinatione, & gratia ita proficiſci, ut in quantum voluntate propria facimus, quod debemus, & illi gloriam debitam reddimus, ad ejus promiſſionem conſequendam jus acquirimus, & revera ſtatutum præmium, tali pacto, Chriſti meritis nobis applicatis, conſequimur; vix elevare poſſunt argumenta, quibus a Bælio premuntur, & icciroco is facile de illis triumphum agit.

C A P. X I V.

§ I §

SEquitur, ut ostendam, cur fecerit hominem ipsum Deus: sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem [a]; spectatorem operum, rerumque cælestium. So-

a *Tamquum divini templi antistitem*. Vide ad Lib. III. cap. IX. seg. 6. ubi pro *antistite*, *testem* dicit; ibi enim non templi metaphora utitur, ob quam heic congrue vocabulum mutat. Mundum propter hominem a Deo conditum non solum Epicuræi negabant, sed, & alii cum Bælio confiteri renuunt, quoniam etiam brutis animalibus elementa deserviunt; immo homines ipsi iisdem, si uti velint, servitium præstare coguntur. Quod ideo faciunt increduli, quia humana ratione assequi volunt, quod fide credere deberent. *Omnia enim*, inquit Apostolus, I. ad Corinth. III. ℣.22. *Vestra sunt .... sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt. Vos autem Christi: Christus autem Dei*, qui, ut in Proverbiis scriptum est XVI. ℣. 4. *universa propter semetipsum operatus est* &c. Id autem quod brutis impenditur animalibus, servitus non est, quoniam nec propter ipsa quicquam productum solummodo dici potest, quum ipsorum usus homini sit reservatus, sub cujus dominio redigi, vel

vel nasci eis semper contingat. De homine enim primo dixit Deus Genes. 1. ℣. 26. *Præsit piscibus maris & volatilibus Cæli, & bestiis universæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Vide hac de re Chrysost. *Hom. in Psal.* 148. S. August. L. 1. *de Gen. contra Manich. cap.* XVI. & Lib. 1. *contra Julian.* Theod. *Inter.* XVIII. *in Gen.* Basil. *Hom.* V. *in Hexam.* Ambr. L. III. *Hexam.* &c.

§. 2.

Solus est enim, qui sentiens, capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera admirari, virtutem, potestatemque perspicere; iccirco enim consilio, mente, prudentia [a] instructus est; ideo solus præter cæteras animantes recto corpore, ac statu fictus est [b], ut ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur: ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem Domini sui possit; Postremo iccirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori, atque artifici Deo esset ipse subjectus [c]. Sin

a *Prudentia.* Bon. *providentia* cæteris repugnantibus.

b *Recto corpore, ac statu fictus est.* Al. *rectus . . . factus est.* Aldus legit nobiscum.

c *Iccirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori, atque*

que artifici Deo esset ipse subjectus. Quandiu itaque homo mansit in Dei obsequio, tandiu habuit creaturas corporeas sibi subjectas, & innocuas; sed eodem suave Dei jugum excutiente, cætera etiam, quæ illi a Deo erant subjecta, adversus ipsum vim suam exercere cœperunt. Vide SS. PP. sententias superiori segmento laudatas.



Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem, ideoque illi [a] tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur [b] :utique justissimum est & Deum colere: videlicet eum, qui tanta præstiterit: & amare hominem, qui sit nobiscum divini juris so-

a *Ideoque illi*: secunda hæc vox in Nostro Bon. Cod. desideratur.

b *Ut rerum omnium dominaretur*. Heum. heic: *In patria sua*, inquit, *hoc dicendi genus didicisse videtur* Lactantius; nam & alter *Afer Tertullianus ita loquitur*. Sed contra; siquidem si ex hoc loquendi modo patriam Lactantii conjicere recte velimus, jam Heumannus palinodiam recantare cogetur, quoniam sic Romani, vereque Latini locuti sunt. Cicero enim L. IV. Acad. quæst. *Cleantes*, inquit, *qui quasi Majorum est Gentium Stoicus, Zenonis auditor, solem dominari, & rerum potiri putat*. Et pro *Rabir. Posthum. Dominatus est enim Alexandriæ*. Aurel. Vict. de

ſocietate conjunctus [c]. Nec enim fas eſt, cultorem Dei a Dei cultore violari [d].

---

de Cæſar. cap. XXXIII. num. 13. *Annonæ dominans.* Ne alios memorem, quos heic Bun. recenſuit.

c *Et Deum colere qui tanta præſtiterit: & amare hominem, qui ſit nobiſcum divini juris ſocietate conjunctus.* Sic omnino cum melioribus legendum eſt ubi Bon. habet. *Et eum, qui tanta præſtiterit amare Dominum, qui ſit nobiſcum divini juris ſocietate conjunctus eſt.* Aldus vero: *& eum, qui tanta præſtiterit, amare hominem.*

d *A Dei cultore violari.* Bon. *a Dei cultura violari.*

4

Unde intelligimus [a], religionis, ac juſtitiæ cauſſa eſſe hominem figuratum, cujus rei teſtis eſt M.Tullius [b] in libris de Legibus, ita dicens: *Sed omnium, quæ in doctorum hominum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi, nos ad juſtitiam eſſe natos.*

---

a *Unde intelligimus:* Sic Aldus etiam, & Schottus. Al. *intelligitur.*

b *M. Tullius* ſcilicet L. 1. *de Legib.* cap. x.

5

Quod ſi eſt veriſſimum [a], Deus ergo vult om-

omnes homines esse justos, id est, Deum, & hominem caros habere; Deum scilicet honorare tanquam patrem [b], hominem diligere velut fratrem: in his enim duobus tota justitia consistit [c].

---

a *Quod si est verissimum*. Al. Tò *si* non habent.
b *Honorare tamquam patrem*. Bon. *tamquam parentem*.
c *In his enim duobus tota justitia consistit*: Bon. *nota justitia* &c. Respicit Noster ad Matth. xxi. ỷ. 40.

6

Qui ergo aut Deum non agnoscit, aut homini nocet, injuste, & contra naturam suam vivit, & hoc modo rumpit [a] institutum, legemque divinam.

---

a *Rumpit*. Al. *justitiam*. Al. *irrumpit*. Livius, *jus rumpere* habet L. 1.

CAP. XV.

1

HIc fortasse quærat aliquis [a], unde ad hominem peccata pervenerint, aut quæ pra-

---

a *Hic fortasse quærat aliquis*. Bon. *Hic fortasse quæ talia quis*. Vid. L. IV. cap. XXIX.

pravitas divini inſtituti regulam ad pejora detorſerit [b], ut quum ſit ad juſtitiam genitus, opera tamen efficiat injuſta.

b *Ad pejora detorſerit*. Al. *detruſerit*.

2

Jam ſuperius explanavi, * ſimul Deum propoſuiſſe, bonum, ac malum: & bonum quidem diligere; malum [a] autem, quod bono repugnat, odiſſe [b]: ſed ideo malum permiſiſſe, ut & bonum emicaret, quod alterum ſine altero (ſicut ſæpe docui) intelligimus, conſtare non poſſe [c]. Denique ipſum

* *Ut quum ſit ad juſtitiam genitus, opera tamen efficiat injuſta. Jam ſuperius explicavi* &c. Hæc in Bon. ſiç depravata leguntur: *quum ſit ad juſtitiam ſuperius explicavi*. Al. *explanavi*. Al. addunt L.II. Al. *explanavit*. Vide L. II. cap. xv. ſeq.

a *Simul Deum propoſuiſſe bonum, ac malum, & bonum quidem diligere; malum autem* &c. Iterum prave Cod. Bon. *ſimul Deum propoſuiſſe bonum, ac malum autem* &c. omiſſis iis, quæ mediant.

b *Malum autem, quod bono repugnat, odiſſe*. Al. *ac malum, quod hinc repugnat, odiſſe*. Al. *pugnas odiſſe*. Al. *pugnans odiſſe*.

c *Intelligimus, conſtare non poſſe*. Cellarius caute hæc legenda monet, nec advertit, Firmianum heic clariſſime loqui, & a ſe alibi dicta clarius explica-

re,

mundum ex duobus elementis repugnantibus; & invicem copulatis esse concretum, igneo & humido: nec potuisse lucem fieri, nisi & tenebræ fuissent: quia nec supremum podest esse sine infero *, nec oriens sine occidente [d], nec calidum sine frigido, nec molle sine duro.

re, quum dicat: *Deum ideo malum permisisse, ut & bonum emicaret*. Preme Tò *permisisse*, & vide Augustinum de Civitate Dei L. XIV. c. XI. Etiam Aliqui alii cum Geretio notant, hunc locum, tamquam continentem errorem Manichæorum, quem equidem heic non video, ut suo loco ostendam.

* Sunt enim relativa, quæ sunt simul cognitione, & natura.

d *Nec oriens sine occidente*. Hæc absunt a Bon. Ms. Cod.



Sic & nos ex duobus æque repugnantibus compacti sumus, anima, & corpore, quorum alterum cælo ascribitur, quia tenue est, & intractabile [a]: alterum terræ, quia comprensibile est: alterum solidum, & æternum est: alterum fragile, atque mortale.

Er-

a *Quia tenue est, & intractabile*. Jam supra explicavimus, quo sensu tenuis anima nostra a Lactantio dicatur. L. I. cap. V. seg. 12 (f) L. VII. cap. V. seg. 37., & cap. VIII. seg. 12. &c.



Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, justitia: alteri tenebræ, mors, injustitia. Hinc extitit in hominibus naturæ suę depravatio [a], ut esset necesse,

 con-

---

a *Hinc extitit in hominibus naturæ suæ depravatio*. Al. *damnatio*: Gallæus heic notat: *Videtur Lactantius originem corruptionis humanæ velle attribuere repugnantiæ elementorum, ex quibus constat, quod omnino falsum est; nam illa contrarietas elementorum inter se a peccato procedit, ut dictum fuit supra. Hominis igitur depravatio extitit ex transgressione mandati divini, propter quam Deus illum justo suo judicio, gratia sua expoliavit; unde non potuit, quin prave cuncta faceret. Quemadmodum arbor nequit sine humore terræ, aut calore solis fructus proferre*. Sed in pluribus homo iste errat dum Lactantium emendare contendit; nec statum ipsum quæstionis intelligit; siquidem quum Noster declarandum assumpserit: *Unde ad hominem peccata pervenerint, aut quæ pravitas divini instituti regulam ad pejora detorserit?* Ridiculum est respondere: *depravatio extitit ex transgressione mandati divini*. Hæc quippe est, manifesta petitio principii, & idem per idem exponere. Assignanda propterea est ratio, quare homo, qui a Deo gratia, & cognitione donatus erat, ut bonum eligeret, & malum odio haberet, sua sponte potius malum elegerit, & bonum respuerit. Hæc autem ratio optime ex repugnantia carnis, ac spiri-

ritus, quibus homo constat, desumitur; quamquam enim primus homo per Dei gratiam plene per superiorem sui partem inferiori dominaretur, nec pravæ concupiscentiæ stimulis intrinsecus obnoxius esset, extrinsecus tamen tentari poterat, & liber erat, ut inferiori potius consentanea eligeret, quam rationali appetitui; unde quum de facto aggressus in hac parte fuerit, illusus a bono commutabili, & apparenti, ad id conversus, præceptum violavit, & in eo, tamquam in capite, natura humana, ob hanc transgressionem divina gratia sanctificante, ac roborante, spoliata, ad pugnam internam, hactenus ignotam, se expositam sensit, & novit. Unde egregie de more Augustinus: Evæ lapsum in eo constituit, quod serpenti potius, quam Deo credidit; Adæ vero, quod uxoris persuasioni, quam divinæ jussioni obtemperaverit. Siquidem: *Si voluntas in amore superioris, immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato, uxoris præponeret voluntatem* &c. quæ leguntur L. XIV. *de Civ. Dei* cap. XIII. Pessime autem erravit Gallæus, quum intulit: *Unde non potuit, quin prave cuncta faceret* &c. Nam non ex eo quod justitia originali, & gratia sanctificante spoliatus fuerit homo, omnibus pariter divinis auxilius ita destitutus est, ut necesse esset, in cunctis operibus peccare, ut impie docuit exemplo arboris, cui vel terræ humor, vel solis calor desit. *Non enim est*, ex Psal. XVII. ℣. 7. *qui se abscondat a calore ejus, qui so-*

constitui legem[b], qua possent & vitia prohiberi, & virtutis officia imperari.

solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos : ut idem Christus Dominus dixit Matth. v. ℣. 45.

b *Ut esset necesse, constitui legem.* Ideo ait Apostolus ad Rom. x. ℣. 5. *Quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea*; quæ tamen lex nonnisi per fidem in Christum salvos facit credentes. *Finis enim legis*, ut versiculo superiori ibidem legitur: *Christus, ad justitiam omni credenti*.

5

Quum igitur sint in rebus humanis bona & mala, quorum rationem declaravi: necesse est, in utranque partem moveri Deum[a]; & ad gratiam, quum justa fieri videt: & ad iram, quum cernit injusta. Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit:

a *In utramque partem moveri Deum*. Bon. *moveri Dominum*. Al. *ad utramque partem*. Adverte motum heic non significare mutationem; sed potius actionem, atque divinorum attributorum exercitium, ut infra sese Author explicat.

6

Si est in Deo[a] lætitiæ affectus ad gratiam

a *Si est in Deo*. Desunt ista Bon. Ms. Cod., quæ alii omnes exhibent.

tiam, & odii ad iram: necesse est habeat & timorem, & libidinem, & cupiditatem, cæterosque affectus, qui sunt imbecillitatis humanæ.

7

Non est necesse, ut timeat [a], qui irascitur: aut mœreat, qui gaudet: denique iracundi, minus timidi sunt: & natura læti, minus mœrent. Quid opus est de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas nostra succumbit? Consideremus divinam necessitatem [b]: nolo enim naturam dicere, quia Deus noster nunquam creditur natus [c].

---

a *Non est necesse, ut timeat.* Heum. mallet: *At non est* &c. quæ tamen conjunctionis particula eleganter sæpe etiam a Cicerone in Dialogis omittitur. Observa heic quomodo Lactantius præoccupet objectiones omnes, easque dissolvat, quæ postmodum adversus ejus doctrinam *de Ira Dei* proponuntur.

b *Consideremus Divinam necessitatem.* Aldus *quod si consideremus divinam necessitatem.* Intellige *naturam.*

c *Nolo enim naturam dicere, quia Deus Noster nunquam creditur natus.* Bon. *Num creditur natus?* Al. *Nolo enim* &c. Al. Tò *noster* omittunt. Quamvis Ecclesiæ Patres, Lactantius ipse, & Theologi divinam essentiam, naturæ vocabulo significent, nec alibi ab hac loquendi ratione idem abhorreat Lactantius: tamen heic etymologiæ potius, quam significationi consulens, hanc doctrinam tradere voluit, ut Ethnicorum animis altius infigetur Dei æternitas, & infinita majestas, atque increata virtus, longe distans ab imperfectionibus humanis.

8

Timoris effectus habet in homine materiam ; in Deo non habet [a]. Homo quia multis casibus, periculisque subjectus est, metuit, ne qua vis major existat, quæ illum verberet, spoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem, in quem nec egestas, nec injuria, nec dolor, nec mors cadit, timere nullo pacto potest : quia nihil est, quod ei vim possit inferre.

a *Habet in homine materiam ; in Deo non habet*. Bon. *in hominem .... Deo*.

9

Item libidinis ratio, & [a] caussa in homine manifesta est. Nam qui fragilis, & mortalis [b] effectus est, necesse fuit, [c] alterum sexum, diversumque constitui, cujus permistione soboles effici posset ad continuandam [d] generis perpetuitatem. I 4 Hæc

a *Ratio, & caussa*. Hæc duo ultima verba absunt a quibusdam Mss. Codd. sed etiam Aldus ea restituit.

b *Nam quia fragilis, & mortalis* &c. Sic nobiscum ex suis Mss. Codicibus legunt Aldus, & Fulvius Ursinus, ubi Al. habent: *qui fragilis* &c.

c *Necesse fuit*. Bon. Cod. *Necessarium fuit*.

d *Cujus permistione soboles effici posset ad continuandam* &c. Cod. Bon. *cujus permixtio subolis effici possit* &c. Al. *ad continendam*.

10

Hæc autem libido in Deo locum non habet, quia & fragilitas, & interitus ab eo alienus est: nec ulla est apud eum fœmina, cujus possit copulatione gaudere: nec successione indiget [a], qui semper futurus est.

a *Nec successione indiget*. Al. *successore*.

11

Eadem de invidia, & cupiditate dici possunt, quæ certis, manifestisque de caussis in hominem cadunt [a], in Deum nullo modo.

a *In hominem cadunt*. Al. *cadent*.

12

At vero & gratia, & ira, & miseratio habent in Deo materiam [a], recteque illis utitur summa illa, & singularis Potestas ad rerum conservationem.

CAP.

a *At vero & gratia, & ira, & miseratio habent in Deo materiam*. Videlicet circa quam versentur. Bon. *Ad gratia, & ira, & miseratione habent*.

C A P. XVI.



QUærit quiſpiam [a], quæ ſit iſta materia? Primum accidentibus malis afflicti [b] homines ad Deum plerumque confugiunt, mitigant [c], obſecrant, credentes eum poſſe ab iis injurias propulſare. [d] Habet igitur [e] Deus cauſſam miſerandi; nec enim tam immitis eſt, hominumque contemptor [f], ut auxilium laborantibus deneget.

---

a *Quærit quiſpiam*. Schottus *quærat*.

b *Accidentibus malis afflicti*. Bon. Cod. *addicentibus malis*. Aldus: *attendentibus* &c.

c *Mitigant*. Heumanno non placet heic vox iſta. Bunem. ſe aliquando legiſſe ait, *fatigat*; ſed nihil mutandum cenſeo; nam idem Lact. L.IV. cap.XVI. *Deum pœnitentia mitigatum* dicit.

d *Ab iis injurias propulſare*. Bon. *ab his*. Al. *ab his injuriis*.

e *Habet igitur Deus cauſſam miſerandi*. Al. Tò *Deus* non habent Al. *cauſſas* legunt. Aldus, & Schottus noſtram lectionem retinent.

f *Tam immitis, hominumque contemptor*: Bon. *hominum quæ*, ut ſæpe in Taurinenſi Cod. *Epitom.*



Item plurimi [a], quibus perſuaſum eſt, Deo

Deo placere justitiam, eumque, quum sit Dominus [b], ac parens omnium, venerantur, & precibus assiduis [c], ac frequentibus votis, dona & sacrificia offerunt, nomen ejus laudibus prosequuntur, justis ac bonis operibus demereri, eum laborant [d]. Est ergo, propter quod [e] Deus & possit, & debeat gratificari. Nam

a *Item plurimi* &c. Hæc omnia, quæ in hocce segmento leguntur, apertissime confirmant, quæ a nobis dicta sunt cap. VIII. hujusce libri seg. 2. nota (c), & frustra detorquentur a Gallæo ad significandum sacrificium laudis, & Eleemosynas, quæ a fidelibus afferebantur ad aram sacræ cœnæ; nam distincte, ac diversimode heic de his Noster loquitur ita, ut non nisi de incruento Missæ Sacrificio possit intelligi, ut Diss. XXXV. cap. II. §. VI. demonstramus.

b *Eumque, quum sit Dominus*, Sic restituo ex Cod. papiraceo Barbarino III., ubi alii omnes legunt vel *quia*, vel *qui*. Sensu satis incomodo. Bunem. tentavit: *eum qui quippe qui*. Aldus: *eumque quum qui*.

b *Et precibus assiduis*. Al. *cum precibus assiduis*.

c *Demereri eum laborant*. Sic ex nostro Bon. Cod. restituo, ubi Al. legunt *laborantes*.

d *Est ergo, propter quod*. Al. *ergo est* &c.

e *Et debeat gratificari*. Gallæus heic inconsideratissimæ, ac dementissimæ temeritatis plenus: *Hoc* inquit, *falsum est. Deus nobis miseris peccatoribus nihil omnino debet, quicquid ab illo accipimus, ex mera procedit gratia, ut testatur sacra pagina*. Quid ergo

ergo significant verba illa Apostol. II. ad Thimoth. cap. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi; sed & iis, qui diligunt adventum ejus:* si nihil est, propter quod Deus debeat ab hominibus gratificari? Quid David in Psal. CXVIII. ℣. 112. Deo dicebat: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*; Si Deus nobis miseris peccatoribus, nihil debet retribuere? Quomodo fidelis Deus erit, si promissa servis suis præmia minime licet ab eo repetere? Sed merito hæc sibi, suisque similibus suadebat Gallæus, quibus fidem Deo non servantibus, non præmia; sed pœnæ debentur. Ii quippe mercedem suam receperunt, nec quid ultra sperare possunt, quum sponte obcœcati extra vitæ stadium currant ad interitum.

3

Nam si nihil est tam conveniens Deo, quam beneficientia, nihil autem tam alienum, quam, ut sit ingratus: necesse est, ut officiis optimorum, [a] sancteque viventium præstet aliquid, ac vicem reddat, ne subeat ingrati culpam, quæ est etiam homini criminosa. Con-

a *Ut officiis optimorum, sancteque viventium*. En ergo, quæ segmento antecedenti recensentur, nempe

pe preces, vota, dona, sacrificia, laudes, & cætera omnia pietatis,quęDeo a fidelibus offeruntur opera:hęc officia sunt virorum optimorum, sanctæque viventium; non autem vanæ, ac superstitiosæ Romanæ Ecclesiæ ceremoniæ, sicuti inconsulti, ac mendaces obloquuntur Heterodoxi.

4

Contra autem sunt alii facinorosi, & nefarii, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, perjurent [a]; nec consanguineis, nec parentibus parcant, leges, & ipsum etiam Deum negligant.

a *Rapiant, perjurent.* Al. *pejerent.*

5

Habet igitur ira in Deo materiam [a]. Non est enim fas, eum, quum talia fieri videat, non moveri, & insurgere ad ultionem sceleratorum, & pestiferos, nocentesque delere, ut bonis omnibus consulat [b]. Adeo & in ipsa ira inest gratificatio [c]. Ina-

a *Habet igitur in Deo ira materiam.* Al. inverso ordine verborum legunt: *Habet igitur ira* &c. Bon. pro *Deo*: habet *Domino*, ut sæpe notavi.

b *Ut bonis omnibus consulat.* Bon. *ut nobis omnibus* &c.

c *Adeo & in ipsa ira inest gratificatio.* Al. *est, & gra-*

& gratificatio. Walchius ait: *Gratificatio, ea significatione, qua Lactantius usurpat, rara est*. Eadem voce utitur Cicero L. I. *de Natur. Deor.* in eadem significatione: *Vos autem quid mali datis, quum imbecillitatem, gratificationem, & benevolentiam ponitis?*

6

Inania ergo, & falsa reperiuntur [a] argumenta vel eorum, qui quum irasci Deum nolunt [b], gratificari volunt, quia ne hoc quidem fieri sine ira potest [c], vel eorum, qui nullum animi motum esse in Deo putant.

a *Et falsa reperiuntur*: Primæ duæ voces absunt a Cod. Bon.

b *Qui quum irasci Deum nolunt*. Bon. *Dominum nolunt*. Al. *volunt*.

c *Quia ne hoc quidem fieri sine ira potest*. Bon. *quia nec hoc quidem fieri sine potest* omisso Tò *ira*. Heum. putat, omnia hæc tamquam glossema esse delenda.

7

Et quia sunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mœror, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt; his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt [a]: eos autem, qui sunt virtutis

tutis, id est ira in malos, charitas in bonos [b], miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna [c], proprios, & justos, & veros habet [d].

a *Et quia vitiorum sunt*. Al. *loqui vitiorum*.

b *Id est, ira in malos, charitas in bonos* &c. Bon. *Id est, iram in malos caritas in bonos* &c. Heum. *Iram, charitatem .... miserationem* &c. Bon. *ut est ira* &c.

c *Sunt digna*. Heum. *digni*; putat enim subaudiri: *affectus*.

d *Proprios, & justos, & veros habet*. Scilicet *affectus*. Gallæus ait: *Et hoc falsum est; Deus enim, qui est Spiritus nec quicquam cum infirmitate carnis nostræ habet commune*. Quasi Justitia punitiva, charitas, & misericordia nequeant ab omni humana infirmitate secerni, ac Deum ipsum sustantialiter esse, & denominari: quemadmodum Theologi de divinis attributis loquuntur. Et quæ ab iis perfectiones *simpliciter simplices* appellantur.



Quæ profecto[a], nisi habeat, humana vita turbabitur, atque ad tantam confusionem deveniet status rerum, ut contemptis, superatisque legibus, sola regnet audacia; ut nemo denique tutus esse possit, nisi viribus prævaleat [b]. Ita quasi communi latrocinio terra omnis

a *Quæ profecto*. Heum. *quos profecto*.

b *Nisi viribus prævaleat*. Al. *nisi qui*.

omnis depopulabitur [c]. Nunc vero quoniam, & mali pœnam, & boni gratiam, & afflicti [d], opem sperant [e], virtutibus locus est, & scelera rariora sunt [f].

c *Depopulabitur*. Depopulor, & depopulo apud Latinos non infrequens verbum est, ideo non mirandum si heic passive verbum hocce a Lactantio usurpatur. Adde Heusingerum ad Vechner. Hellenoft. pag. 114. apud Bunemannum, ne alios referam: In Bon. Cod. *depopulavitur*.

d *Et afflicti opem sperant*. Al. *afflictionem*. Al. *adfectionem*,

e *Sperant*. Id est: *expectant*. Vide ad cap. LXV. Epitom.

f *Et scelera rariora sunt*. Bon. *scelerariora sunt*. Schottus: *rariora fiunt*.



At enim plerumque [a] & scelerati feliciores sunt, & boni miseriores, & justi ab injustis impune vexantur. Considerabimus postea [b], cur ista fiant. Interim de Ira explicemus, an sit aliqua in Deo? utrum nihil curet omnino, nec moveatur ad ea, quæ impie geruntur? CAP.

a *At enim plerumque* &c. objectio, & dicendi formula satis vulgata apud incredulos.

b *Considerabimus postea*. Nempe infra cap. XX., & in

& in libro de M. P., ad quem præcipue videtur respicere. Bon. *consideravimus*.

CAP. XVII.



DEus, inquit Epicurus, *nihil curat*: Nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habet[a] potestatem: vel si habet, & non utitur, quæ tantæ negligentiæ[b] caussa est, ut ei, non dicam nostrum genus; sed etiam mundus ipse sit vilis?

a *Qui habeat potestatem*. Al. *habet*. A Bon. abest vox ultima.
b *Quæ tantæ negligentiæ caussa est*: Sic in Cod. Bon. Aldus *quæ tanta est negligendi ratio*: Isæus in Var. lect. edidit *negligente*.



Ideo inquit[a] *incorruptus est*, *ac beatus*, *quia semper quietus*. Cui ergo administratio[b] tantarum rerum cessit, si hæc a Deo ne-

a *Ideo*, *inquit* &c, Nempe Epicurus.
b *Cui ergo administratio* &c. Al. *ministratio*.

negligantur [c], quæ videmus ratione ſumma gubernari? aut quietus eſſe quomodo poteſt, qui vivit, & ſentit?

c *Negligantur*: Bon. *neclegantur*.

3

Nam quies aut ſomni eſt, aut mortis [a]; ſed nec ſomnus habet quietem: nam quum ſoporati ſumus, corpus quidem quieſcit, animus [b] tamen irrequietus agitatur: imagines ſibi, quas cernat, effingit, ut naturalem ſuum motum exerceat varietate viſorum: avocatque ſe falſis [c], dum membra ſaturentur, ac vigorem capiant [d] de quiete.

a *Nam quies aut ſomni eſt, aut mortis*. Al *aut ſomni res eſt*.

b *Animus tamen*. Al. *animus autem*. Legit nobiſcum Aldus.

c *Avocatque ſe falſis* &c. Bon. *advocatque* &c. Al. *a falſis*. Lectionem noſtram Bunem. tuetur exemplo deſumpto ex cap. XVIII. a ſeg. 4. Libri *de Opif. Dei*, ubi his conſona docet Lactantius.

d *Ac vigorem capiant*. *Quies igitur*. Hæc lectio fere communis eſt pleriſque Mss. Codd., ac melioribus editis, pro qua Bon. habet: *vigorem capiant*. *Denique & requies igitur* &c. Iſæus: *denique requies ſempiterna* &c. Et ſic legit etiam Aldus.



Quies igitur sempiterna solius mortis est. Si autem mors Deum non attingit: Deus igitur nunquam quietus est [a]. Dei vero actio quæ potest esse, nisi mundi administratio? Si vero mundi curam gerit, curat igitur hominum vitam Deus, ac singulorum actus animadvertit, eosque sapientes, ac bonos esse desiderat.

a *Deus igitur numquam quietus est*: Scilicet numquam ab operatione cessat, secundum id, quod habetur Jo: v. ℣. 17. *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Ubi Patres, & interpretes videndi sunt.



Hæc est voluntas Dei, hæc divina lex: quam qui sequitur, qui observat, Deo charus est [a]. Necesse est igitur, ut ita moveatur adversus eum, qui hanc æternam, divinamque legem aut violaverit, aut spreverit.

Si

a *Deo charus est*: Ideo Christus Dominus Joh. xiv. ℣. 15. ait: *Si diligitis me, mandata mea servate*, & ℣. 22. *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me diligetur a Patre meo, & ego diligam illum* &c.

6

Si nocet, inquit, alicui [a] *Deus, jam bonus non est*. Non exiguo falluntur errore, qui censuram sive humanam, sive divinam acerbitatis, & malitiæ nomine [b] infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna. Quod si est, nocentes igitur leges habemus, quæ peccantibus supplicia sanxerunt, nocentes judices, qui scelere convictos pœna capitis afficiunt.

a *Si noceat, inquit, alicui* &c. Alia Epicureorum objectio. Tò *inquit*: abest a quibusdam, in Bon. punctis notatur; sed Aldus eam restituit.

b *Qui censuram sive humanam, sive divinam acerbitatis, & malitiæ nomine* &c. Tò *& malitiæ* in plerisque desideratur. Nota heic Dei iram *censuram*, appellari, quæ apud Romanos officium ejus erat, ad quem morum jura spectabant, idemque valet ac *reprehentio*, *correctio*, *castigatio*, qua homines in officio continentur. Hinc autem quum Lactantius non solum divinam laudet; sed etiam humanam censoriam animadversionem, manifestum fit, & fidei desertores esse puniendos, eosque omnes, qui de perpetrato scelere convinguntur: adversus eos, qui docent ex Lactantii doctrina, nulli licere, sontes supplicio plectere in lege gratiæ.

c *Pœna capitis afficiunt*. Hinc intellige explanatam, confirmatamque Nostri sententiam, de qua L. VI. cap. XX. seg. 16. & seq. locuti sumus.



Quod si & lex justa est, quæ & nocenti retribuit, quod meretur [a], & judex integer, ac bonus dicitur, quum male facta vindicat (bonorum enim salutem custodit, qui malos punit) ergo & Deus, quum malis obest, nocens non est: Is est autem nocens [b], qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat.

a *Retribuit quod meretur*. Al. *tribuit*. Hinc Bunem. noscere poterat quid Noster intelligat, quum verbum *mereor* usurpat.

b *Is est autem nocens*. Bon. Cod. *His est* &c. Al. *Ipse autem est*. Al. *Est autem is nocens*. Aldus L. N.



Libet quærere [a] ab iis, qui Deum faciunt immobilem: si quis habeat rem, domum, familiam, servique ejus contemnentes patientiam domini, omnia ejus invaserint [b], ipsi bonis ejus fruantur, ipsos familia

a *Libet quærere*. Al. *licet quærere*.

b *Omnia ejus invaserint*. Al. Tò *ejus* omittunt. Respicit ad Parabolam, quæ habetur, Matth. XXI, a ℣. 33.

lia ejus honoret : dominus autem contemnatur ab omnibus , derideatur , relinquatur , utrum ne ſapiens eſſe poſſit , qui contumelias non vindicet , ſuiſque rebus eos frui patiatur [c] , in quos habeat poteſtatem ? Quæ tanta in quoquam poteſt patientia reperiri ? ſi tamen patientia nominanda eſſet [d] ,& non ſtupor quidam inſenſibilis .

c *Eos frui patiatur* . Al. eos *perfrui* .
d *Nominanda eſſet* . Al. *nominanda eſt* .

§ 9 §

Sed facile eſt ferre contemptum [a] . Quid ſi fiant illa , quæ a Cicerone dicuntur [b] ? *Etenim quæro , ſi quis pater familias liberis ſuis a ſervo interfectis , uxore occiſa , incenſa domo , ſupplicium de ſervo nunquam acerrimum* [c] *ſumpſerit : utrum is clemens , ac miſericors , an inhumanus , & crudeliſſimus eſſe videatur ?*

a *Sed facile eſt ferre contemptum* . Diverſo charactere hæc ſcribi curavi , quum Epicureorum , ac quorundam aliorum ſenſa contineant ; præſertim Stoicorum , de quibus infra .
b *A Cicerone dicuntur ?* Nempe Catelinar. iv.
c *Numquam acerrimum* . Bunem. ex Cicer. *Non quam acerrimum* , & ſic etiam Schottus .

10

Quod ſi ejuſmodi facinoribus ignoſcere, crudelitatis eſt potius, quam pietatis [a]: non eſt ergo virtutis in Deo, ad ea, quæ injuſte fiunt, non commoveri.

a *Potius quam pietatis*. Al. *humanitatis*.

11

Nam mundus tanquam Dei domus eſt, & homines tanquam ſervi, quibus ſi ludibrio ſit nomen ejus, qualis, aut quanta patientia eſt, ut honoribus ſuis cedat, ut prava [a], & iniqua fieri videat, & non indignetur, quod proprium, & naturale eſt ei, cui peccata non placeant?

a. *Ut prava* &c. Plerique particulam *ut* omittunt.

12

Iraſci ergo rationis eſt; auferuntur enim delicta, & refrænatur licentia, quod utique juſte, ſapienterque fit. Sed Stoici non viderunt eſſe diſcrimen recti, & pravi: eſſe [a] iram juſtam, & injuſtam: & quia medelam

a *Diſcrimen recti, & pravi; eſſe*. Hæc abſunt a Cod. Bon. ſolita Amanuenſis Librarii oſcitantia.

iam rei[b] non inveniebant, voluerunt eam penitus exſcindere. Peripatetici vero non excidendam[d], ſed temperandam eſſe dixerunt, quibus in ſexto libro Inſtitutionum[e] ſatis reſpondimus.

b *Et quia medelam rei*. Tò *quia*. Bon. omittit.

c *Voluerunt eam penitus exſcindere*. In Bon. Cod. *voluerunt enim penitus excedere*. Al. *excidere*.

d *Non excidendam*. Servo heic lectionem invariatam apud omnes, quæ etiam Horatii authoritate elegans eſt; ait enim Serm. L. I. Sat. III. a ℣. 76. contra eoſdem Stoicos agens:

Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt ſtultis hærentia: cur non
Ponderibus, moduliſque ſuis rarior utitur?

e *In ſexto libro Inſtitutionum*. Nempe Cap. XIV. & ſeq.

13

Neſciſſe autem Philoſophos quæ ratio eſſet iræ, apparet ex finitionibus eorum[a],

 quas

a *Ex finitionibus eorum*. Al. *ex definitionibus*. Vide Senec. *de Ira* cap. XIV.; Fruſtra tamen in tribus *de Ira* libris, quos ſub Senecæ nomine habemus, haſce finitiones quæras; nam opus illud non integrum ad nos perveniſſe colligit Fabricius in ſua Bibliotheca latina ex hoc Firmiani loco, quod jam antea Lipſius obſervaverat ad Lib. I. cap. III. & ad Lib.II. cap. pariter III. laudati Senecæ operis.

quas Seneca enumeravit in libris, quos de ira composuit: *Ira est*, inquit, *cupiditas ulciscendæ injuriæ*. Aut (ut ait Posidonius) *cupiditas puniendi* [b] *ejus, a quo te inique putes læsum*. Quidam ita definierunt [d]: *Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit*. Aristotelis definitio non multum a nostra abest. Ait enim: *iram esse cupiditatem doloris reponendi* [e].

---

b *Aut, ut ait Posidonius*. Al. *alii, ut ait Possidonius*. Al. *vel, ut ait Posidonius*. Scribo Posidonius cum simplicis, ut Græci, & Latini meliores faciunt. Is Philosophus Apamiensis ex Syria fuit, Strabone teste Lib. XIV. etsi Rhodius dictus, quod Rhodi vixerit, & philosophatus sit. Ciceronis eum familiarem fuisse ex Lib. II. *de Nat. Deor.* facile nosces; sicuti etiam Sectæ Stoicæ nomen dedisse, ac in Schola Panetio successisse. Romam aliquando venit, M. Marcelli tempore. De eo vide Plutarchum in Diss. Nostra XL. cap. XIV. §. V.

c *Cupiditas puniendi*; Cicero in *Tuscul.* Lib. IV. cap. IX. *Libido puniendi*.

d *Quidam ita definierunt*. Quinam ii fuerint, ignoratur.

e *Doloris reponendi*. Al. *rependendi*. Al. *respuendi*. Al. *respondendi*. Al. *reprimendi* &c. Nobiscum legunt Senecæ editores ad Lib. I. de Ira cap. III. ubi vide Lipsium.

14

Hæc est ira, de qua superius diximus,

quæ

quæ etiam mutis ineſt [a] : in homine vero cohibenda eſt, ne ad aliquod maximum malum proſiliat per furorem [b]. Hæc in Deo eſſe non poteſt, quia ille ſtabilis eſt [c] : in homine autem, quia fragilis eſt, invenitur : irritat enim [d] læſio dolorem, & dolor facit ultionis cupiditatem.

---

a *Hæc eſt ira, de qua ſuperius diximus, quæ etiam mutis ineſt*. Sic legendum puto cum Bunem. nam in Cod. Noſtro Bon. depravata lectio ſic ſe habet. *Hæc eſt ira, de qua etiam mutis ineſt*. Al. habent : *dixit* pro *diximus* & quidam poſt hoc verbum addunt: *injuſta*, quam lectionem Aldus quoque retinuit ; & forte legendum : *Hæc eſt ira injuſta, de qua* &c.

b *Ad aliquod maximum malum proſiliat per furorem*. Al. *in aliquid maximum*. Al. *ad aliquid*.

c *Quia ille ſtabilis eſt*. Bonon., & alii quidam : *quia illeſibilis*.

d *Irritat enim*. Al. *inurit*.

15

Ubi eſt ergo ira illa juſta, quæ movetur [a] adverſus delinquentes ? quæ utique non eſt cupiditas ultionis, quia non præcedit injuria. Non

---

a *Ubi eſt ergo ira illa juſta, quæ movetur* &c. In aliquibus hæc duo ultima verba deſunt, in aliis prima inverſa ſunt, & Heum. de more fingit : *Eſt ergo illa ira juſta, quæ movetur* &c.

16

Non dico de iis, qui adversus leges peccant, quibus etsi judex [a] sine crimine irasci potest, fingamus tamen, eum sedato animo esse debere, quum subjicit pœnæ nocentem, quia legum sit minister, non animi, aut potestatis suæ; sic enim volunt, qui iram conantur evellere: sed de iis potissimum dico, qui sunt nostræ potestatis, ut servi, liberi, conjuges, & discipuli [b]: quos quum delinquere videmus, incitamur ad coercendum.

a *Quibus etsi judex*. Bon. *& judex*, sed post copulam puncta quædam habet. Aldus legit nobiscum.
b *Ut servi*, *liberi*, *conjuges*, *& discipuli*. Bon. omittit particulam *&* ultimo loco positam, & ad singulas voces repetit: *ut* Al. utramque delent.

17

Necesse est enim bono, ac justo [a] displicere, quæ prava sunt, & cui malum displicet, movetur, quum id fieri videt [b]. Ergo surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc

a *Necesse est enim bono*, *ac justo*. Al. *omni bono*.
b *Movetur quum id fieri videt*. Sic etiam Aldus. Al. *moveri*.

18

Hæc eſt ira juſta, quæ ſicut in homine neceſſaria eſt ad pravitatis correctionem, ſic utique in Deo[a], a quo ad hominem pervenit exemplum.

---

a *Sic utique in Deo*. S. Thomas Lib. III. *contra Gentes cap.* CXL. *Pœnæ inferuntur a Deo non propter ſe, quaſi Deus in ipſis delectetur; ſed propter aliud, ſcilicet propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum univerſi conſiſtit.*

19

Nam ſicuti nos poteſtati noſtræ ſubjectos coercere debemus: ita etiam peccata univerſorum Deus coercere[a] debet: quod ut faciat, iraſcatur neceſſe eſt: quia naturale eſt bono, ad alterius peccatum moveri, & incitari.

---

a *Ita etiam Deus peccata univerſorum debet coercere*. Hoc ordine in noſtro Codice leguntur hæc verba, quæ in aliis diverſimode poſtponuntur. Al. *cohercet*. Al. Tò *debet* omittunt.

20

Ergo definire debuerunt, *Ira eſt motus ani-*

animi [a] *ad coercenda peccata insurgentis*: nam definitio Ciceronis: *Ira est libido ulciscendi* [b]; non multum a superioribus distat.

---

a *Est motus animi* &c. Hæc iræ definitio Divinæ Justitiæ non competit, ut quisque ex terminis videt; sed per analogiam exponitur, & quatenus ipsam respicit, est: *voluntas coercendi peccata*.

b *Libido ulciscendi*. Cicero hanc definitionem iræ a Stoicis traditam, retulit *Lib. IV. Tuscul. Quæst.* cap. IX. Eamdem vero a se adoptatum ostendit L. III. cap. V. earundem, ubi proprie non *iram*; sed *iracundiam* definit.

21

Ira autem, quam possumus vel furorem vel iracundiam nominare [a], hæc ne in homine quidem debet esse, quia tota vitiosa est [b]. Ira vero, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest, quia & utilis est rebus humanis, & necessaria [c].

CAP.

---

a *Quam possumus vel furorem, vel iracundiam nominare*. Hinc nosce, quam bene Lactantius iram, ab iracundia discernat.

b *Quia tota vitiosa est*. Al. *quæ tota vitiosa est*.

c *Nec Deo potest, quia & utilis est rebus humanis, & necessaria*. Bon. *nec Deo putet* &c. Et ultimam copulam omittit. Al. *nec necessaria*.

CAP. XVIII.



QUid opus [a] *est*, inquiunt, *ira*, *quum sine hoc affectu peccata corrigi possunt*? Atqui nullum est, qui peccantem [b] possit videre tranquille: possit fortasse, qui legibus præsidet, quia facinus non sub oculis ejus admittitur; sed defertur aliunde [c] tanquam dubium: nec unquam potest esse scelus [d] tam clarum, ut defensioni locus non sit; & ideo potest judex non moveri adversus eum [e], qui potest innocens inveniri, quumque detectum

---

a *Quid opus* est, inquiunt &c. Hinc inferre non licet: ergo Lactantius, Deo iræ affectum, seu passionem tribuit; nam potius hanc illationem Noster omni studio vitare voluit, quum non ad exponendum modum, quo Deus irascatur, heic descenderit; sed potius homines docuit, qua ratione sine peccato irasci possint, & debeant ita, ut non irascendo peccent.

b *Qui peccantem*: Sic etiam Aldus. Al. *qui peccatorem*.

c *Defertur aliunde*. Absunt hæc a nonnullis, qui legunt: *admittitur moveri*.

d *Potest esse scelus*. Bon. *potest esse sæculus*.

e *Adversus eum*. Ultima vox in Bon Cod. desideratur.

ctum facinus in lucem venerit, jam non sua, sed legum sententia utitur.

2

Sed potest concedi [a], ut sine ira faciat, quod facit [b]; habet enim, quod sequatur. Nos certe, quum domi peccatur a nostris, sive id cernimus, sive sentimus, indignari necesse est.

---

a *Sed potest concedi*, Schottus primam vocem delet.

b *Quod facit*: Hæc in nonnullis non leguntur.

3

Ipse enim peccati aspectus indignus est; nam qui non movetur omnino: aut probat delicta, quod est turpius; & injustius, aut molestiam castigandi fugit, quam sedatus animus, & quieta mens aspernatur, ac renuit, nisi ira stimulaverit, & incitaverit: qui autem commovetur [a], tamen intempestiva lenitate [b]; vel sæpius, quam necesse est, vel etiam

---

a *Ac renuit, nisi stimulaverit ira, & incitaverit*. Bon. *ac reunit* &c. Al. *ac tenuit nisi ira stimulaverit*; cæteris omissis, quæ tamen etiam ab Aldo restituuntur.

b *Intempestiva lenitate*: Sic etiam Schottus. Al. *levitate*.

etiam semper ignoscit, is plane & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & sibi ipse æternam molestiam submininistrat [c]. Vitiosa est ergo in peccatis iræ suæ cohibitio [d].

c *Et sibi ipse æternam molestiam subministrat*. Sic Aldus etiam, & Schottus hanc lectionem restituunt; ubi Al. legunt: *sibi ipsi æternam miseriarum materiam* &c.

d *Cohibitio*: Voce hac utitur Cicero Verrina v. eamque Latinam vindicat Falst. in *suppl. L. L. p.* 60.

4

Laudatur Archytas Tarentinus [a], qui quum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens [b]: *Miserum te*, inquit, *quem jam verberibus necassem, nisi iratus essem*.

a *Laudatur Archytas Tarentinus*. De historia, de qua heic Lactantius, agit Cicero in Tuscul. L.IV. cap.XXXVI., eamque narrat Valer. Max. L.IV. cap.I. Bon. *Laudatur Arquitas Taruntinus*.

b *Villici sui culpam redarguens*. Bon. hæc ita permutat: *ulciscendi sua culpa*.

5

Unicum hoc exemplum temperantiæ pu-

putant; ſed autoritate ducti non vident, quam inepta & locutus fuerit, & fecerit. Nam (ſi ut ait Plato [a]) *Nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur*: apparet, quam malum vir ſapiens propoſuerit exemplum.

---

a *Nam ſi (, ut ait Plato.)* Al. *Nam ſicut ait Plato*. Quam lectionem exhibet etiam Aldus. *Vide Platon., in Gorgia*, & Senec. Lib. I. *in Protagor. de Ira*.

6

Si enim ſenſerint ſervi, dominum ſuum [a] ſævire, quum non iraſcitur, tum parcere quum iraſcitur [b]: non peccabunt utique leviter, ne verberentur; ſed quantum poterunt, graviſſime; ut ſtomachum perverſi hominis incitent [c], atque impune diſcedant [d].

Ego

---

a *Dominum ſuum*. Al. Tò *ſuum* omittunt.

b *Tum parcere, quum iraſcitur*. Aldus: *tum peccare*: quæ lectio etiam Codicis noſtri fuiſſe videtur ex litura, ſub qua nunc cubat; punctis quibuſdam a tribus præcedentibus vocibus inſignita.

c *Ut ſtomachum perverſi hominis incitent*. Al. *ut ſtomachum eius incitent*.

d *Atque impune diſcedant*. Bon. *atque impone* &c.

7

Ego vero laudarem, si quum fuisset iratus, dedisset iræ suæ spatium, ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum gastigatio.

---

a *Vt residente . . . . tumore*. Al. *resedente*. Al. *respuente*. Al. *retinente . . . . timore*.

8

Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, sed differenda: ne aut peccanti majorem justo dolorem inureret, aut gastiganti furorem: nunc vero quæ tandem æquitas, aut quæ sapientia [a] est, ut aliquis ob exiguum delictum puniatur? aut ob maximum [b] non puniatur?

---

a *Nunc vero quæ tandem æquitas, aut quæ sapientia*. Sic etiam Aldus, ubi alii secundum relativum omittunt.

b *Ob maximum*. Al. *aut ob maximum*: Aldus nostram retinet lectionem. Al. *ob exiguum dolorem*.

9

Quod si naturam rerum, caussasque didicisset, nunquam tam importunam conti-

nentiam profiteretur, ut nequam servus, iratum sibi fuisse dominum gratularetur.

a *Ut nequam servus iratum sibi* &c. Bon. *ut nequa servus iram sibi fuisse* &c.

10

Nam sicut corpus humanum Deus multis, & variis sensibus ad usum vitæ necessariis instruxit, sic & animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio constaret: & ut libidinem producendæ gratia [a] sobolis dedit, sic iram cohibendorum caussa delictorum.

a *Et ut libidinem producendæ gratia sobolis* &c. Hanc lectionem Schotto debemus, ubi Bon. omissa prima copula, legit de more *subolis gratia*, & copula præposita; pro *producendæ*, legit: *pruducendæ*. Aldus *provehendæ*.

11

Verum ii, qui nesciunt fines bonorum, ac malorum, sicut libidine utuntur ad corruptelas, & ad voluptates, sic ira, & affectu ad nocendum, dum iis, quos odio habent irascuntur; ergo etiam non peccantibus, etiam paribus, aut etiam superioribus [a]. Hinc quotidie ad immania facino-

a *Non peccantibus, etiam paribus, aut etiam superioribus*.

cinora [b] prosilitur: hinc tragœdiæ sæpe nascuntur.

bus. Sic restituimus hanc lectionem ex uno Barbarino, & ex altero Ottoboniano Codd. Mss. ubi Al. fere omnes diversimode, atque incomode legunt. Bon. & Aldus *irascuntur ergo etiam non peccantibus, irascuntur etiam paribus* &c.

b *Ad immania facinora*. Al. *ad maxima*.

12

Esset igitur laudandus Archytas, si quum alicui civi, & pari facienti sibi injuriam fuisset iratus; repressisset se tamen [a], & patientia furoris impetum mitigasset. Hæc sui cohibitio gloriosa est, qua compescitur aliquod imminens magnum malum. Servorum autem, filiorumque peccata non coercere, peccatum est; evadent enim ad majus malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, sed etiam, si jacet, excitanda est.

a *Repressisset se tamen*. Bon. *repressius, sed se tamen*.

13

Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo, qui hominem similem sui

L 2 fecit.

fecit [a]. Omitto de figura [b] dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum [c], & ingens alia materia nascetur, si eos coarguere velim [d]: de animo tantum loquor. Si

---

a *Qui hominem similem sui fecit*. Quamquam heic non explicat Lactantius in quo similitudo Deum inter, & hominem consistat; ex alibi tamen dictis, per quæ constat, eum apertissime docuisse, Deum incorporeum omnino esse, jam apparet, similitudinem hanc, non in corpore, aut in sensibus corporeis intelligi debere; sed in spiritu, atque in potentiis ejus, ut Patres communiter docent.

b *Omitto de figura dicere*. Sic nobiscum Aldus. Al. addunt *Dei*, quæ vox satis exprimitur per verba, quæ sequuntur; ideoque non credas, me illam rejicere, ut Lactantium excusem; sed potius, ut lectionem antiquissimi Codicis servem, eamque exponam in eo sensu, quo superius usus sum cap. II. seg. 5. nota (b). Non enim quicquam obstat, quod philosophi quidam, de quibus Aristoteles Lib. III. *Metaph.* & Cicero de *Nat. Deor.* Lib. I. aut Hæretici postmodum, de quibus August. *de Hæres.* cap. LXXXVI. aliique mentionem faciunt, vere putaverint, Deum corporeum, atque figuratum. Nam Noster heic contra Stoicos simul, & Epicuræos agens, inter quos opposita hac de re erat sententia, satius esse judicavit, si omissa disputatione inutili, utrosque iisdem principiis adoriretur, in quibus conveniebant, ab animo scilicet desumptis. Unde mox subdit: *de animo tantum loquor*. Quasi dicat: omitto quæstionem illam, de qua philosophi disputant, adversus quos

quos ago; habeat ne Deus, an non corpus, figuram, formam, ideas rerum ad similitudinem hominum, qui ficti ad illam dicuntur; loquamur potius de animo, quem Deo similem esse, omnes fatentur.

c *Quia Stoici negant h. u. f. Deum*. Bon. quia *Stoici negent Dominum*. Inter Stoicorum paradoxa hoc etiam recensendum, quod Deum figura carentem dicerent, eumque mundum esse, globosa figura compactum. Vide Laertium L.VII. seg. 137. & 140.

d *Et ingens alia materia nascetur, si eos coarguere velim*. Sic etiam Aldus. Al. *Nascitur.... velimus*.

14

Si Deo subjacet, cogitare, sapere [a], intelligere, providere, præstare; ex omnibus autem animalibus homo solus hæc habet [b]: ergo ad Dei similitudinem factus est; sed ideo procedit [c] in vitium, quia de terrena fragilitate permistus, non potest id, quod a Deo sumpsit, incorruptum, purumque

L 3

a *Cogitare, sapere* &c. En in quo similitudinem Deum inter, & hominem Lactantio ponere satis erat. ut inde, quod volebat, facile consequens esse monstraret.

b *Hæc habet; ergo ad Dei similitudinem*. Bon. *ergo addidit similitudinem*. Al. *hoc habet*.

c *Sed ideo procedit*. Al. *sed idem* &c.

que servare, nisi ab eodem Deo justitiæ præceptis imbuatur [d].

d *Justitiæ præceptis imbuatur*. Bon. *justitiæ caput imbuatur*.

CAP. XIX.



Sed quoniam compactus est (ut diximus) e duobus [a] homo, animo, & corpore, in altero virtutes, in altero vitia continentur, & pugnant invicem [b]; Animi enim bona, quæ sunt in continendis [c] libidinibus, contraria sunt corpori: & corporis bona, quæ sunt in omni genere voluptatum, inimica sunt animo.

a *E duobus*. Sic etiam Aldus. Al. statim addunt: *homo*

b *Et impugnant invicem*. Al. *se invicem*. Al. omisso pronomine, legunt: *repugnant*, aut, *pugnant*.

c *Quæ sunt in continendis*. Secunda vox in Bon. Cod. desideratur.



Sed si virtus animi repugnaverit cupiditatibus, easque represserit [a], vere Deo simi-

similis invenietur [b]. Unde apparet, animam hominis, quæ virtutem divinam capit, non esse mortalem.

---

a *Sed si virtus animi repugnaverit cupiditatibus, easque represserit*. Sic etiam Aldus. Al. *voluptatibus .... compresserit*. Virtus animi, voluntas efficax est, ac constantia roborata.

b *Vere Deo similis invenietur*. In aliquibus ultimum verbum desideratur. Al. *Erit vero Deo similis*. Hinc nosce quam similitudinem Deum inter, & hominem Lactantius adstruat.

3

Sed discrimen illud est, quod quum virtus [a] habeat amaritudinem, & sit dulcis illecebra [b] voluptatis, vincuntur plurimi, & abstrahuntur ad suavitatem. Ii vero, qui se corpori, rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, nec assequi possunt divini muneris gratiam [c], quia se vitiorum labibus inquinarunt.

---

a *Quod, quum virtus*. Al. *quidem quum virtus*.

b *Et sit dulcis illecebra*: Bon. *& sit lucis* &c.

c *Divini muneris gratiam*. Sic etiam Aldus. Al. *divini Numinis*.

4

Qui autem Deum secuti [a], eique pa-

rentes, corporis desideria contempserint, & virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam, justitiamque servaverint: hos Deus, ut sui similes recognoscit.

a *Qui autem Deum secuti*. Bon. de more: *qui Dominum*.

5

Quum igitur sanctissimam legem posuerit, velitque universos, innocentes, ac beneficos esse: potest ne non irasci [a], quum videt, contemni legem suam, abjici virtutem, appeti voluptatem?

a *Potest ne non irasci*. Id est: potest ne talem se ostendere, ut punire nolit, qui legem ab se statutam contempserit?

b *Abjici virtutem*: Bon. *avici virtutem*.

6

Quod si est [a] mundi administrator (sicut esse debet) non utique contemnit id, quod est in omni mundo vel maximum. Si est providus [b] (ut oportet Deum) consulit uti-

a *Quod si est*. Al *qui si est*. Bon. *quia si est*.

b *Si est providus*. Al. *providens*.

utique generi humano, quo sit vita nostra & copiosior, & melior, & tutior. Si est pater, ac Dominus [c] universorum; certe & virtutibus hominum delectatur, & vitiis commovetur. Ergo & justos diligit, & impios odit [d].

c *Si est pater, ac Dominus*. Al. *pater, ac Deus*.
d *Et impios odit*: Intellige in eodem sensu, quo supra illud Psalmi exposuimus: *Iniquos odio habui* &c.

7

Odio, inquit, *opus non est* [a]: *semel enim statuit bonis præmium, & malis pœnam*. Quod si aliquis [b] juste, innocenterque

a *Odio, inquit, opus non est* &c. Occurrit heic Noster objectioni, quæ facile fieri poterat, vel forte ab aliquo facta est, aut facienda, præsertim ob ea, quæ in expositionibus diximus; si enim ira quatenus voluntas est puniendi peccata in Deum cadit; utique quatenus odium heic appellatur, in Deum cadere non potest. Itaque concludendum videtur: quod Deus statuerit quidem, punire sontes, non autem ira, aut odio adversus eos moveri; scriptum enim sap. XI. ℣. 25. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti* &c. Sed audies quid Noster respondet. Al. legunt: *inquit aliquis*. Al. *inquiet aliquis*.
b *Quid si aliquis*. Id est: *Fac esse aliquem*, qui &c.

que vivat [c], & idem Deum nec colat, nec curet [d] omnino, ut Ariſtides, & Cimon, cæterique Philoſophorum [e], cedet ne huic impune? Quod quum legi Dei obtemperarit, ipſum tamen ſpreverit [f].

Eſt

c *Juſte, pieque vivat*. Sic viri fortes noſtrorum temporum leges quaſdas *Adeptis* ſuis tradunt, quibus ita homines cujuſcumque Religionis profeſſores, ſive etiam cujuſcumque Religionis expertes, in officiis ſe continere poſſe tradunt, ut juſte, pieque vivere dici poſſint: inter quos principem tenere locum videres *Benedictum*, ſeu potius *Maledictum* de Spinoza, ſi libellum lingua Gallica conſcriptum legeres, cui titulus: *La vie, & l' Eſprit de Maſtr. Benoit de Spinoza*. Sed vide Iſagogem noſtram §. XXIX. ſeq.


d *Et idem Deum nec colat, nec curet*: Sic etiam legit Aldus, ubi Al. Tò *idem* omittunt.

e *Ut Ariſtides, & Cimon, cæterique Philoſophorum*. Iſæus legit: *Ariſtoteles, cæterique philoſophorum*. Al. *& Timon*. Bunem. non repugnat ſi legatur; *ut Ariſtides, & Cimon, ut Ariſtoteles* &c. Ego vero a lectione noſtri Codicis, quam etiam Aldus retinet, non recedo, ſed *Cimon* ſcribendum puto cum aliis; immo cum eodem Lactantio L. VI. c. IX. ſeg.8. ubi de Cimone, & in eodem Lib. cap.VI.ſeg.6. ubi de Ariſtide loquitur, & virtutes eorum, vanas oſtendit, ex eo, quod ſine Dei cognitione erant.

f *Cedet ne huic impune? quod quum legi Dei obtemperaverit, ipſum tamen ſpreverit*. En ergo reſponſum. quod reſponſionem tollit *Indifferentiſſimi* profeſſoribus;

Nam

Nam ſi bonis præmia, malis pœnà ſtatuta ſunt, hos duos viros, qui inter bonos, & probatos recenſentur, ipſumque Spinozam, de quo non ſolum ſodales ejus, ſed etiam Kortholth. in Præf. *de Tribus impoſtoribus*, aliique virtutes laudant, ab ipſius impietate alieni, impunes eſſe dicendum erit? vel amore, aut odio divino dignos? Non primum quidem, quoniam qui *non credit judicatus eſt*, & prædamnatus, ut ad cap. III. S. Joh. omnes Patres, & interpretes docent; nec poſt judicii diem medius aliquis locus erit, in quo tales homines, nec præmio, nec pœna digni exiſtant. Non ſecundum; quia idem Chriſtus ait: Matth. x. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*. Ergo cum Propheta dicendum Pſal. v. ℣. 6. *Odiſti omnes qui operantur iniquitates: perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. De quo enim dicitur: nihil odit eorum, quæ ipſe fecit: alibi prædicatur: *ſimiliter odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Sap. XIV. 9. Vide S. Thom. 1. P. q. XX. A. 2. ad IV.



Eſt igitur aliquid, propter quod Deus poſſit iraſci, tanquam fiducia integritatis adverſus eum rebellante [a]. Si huic poteſt iraſci propter ſuperbiam [b], cur non magis peccatori, qui legem cum ipſo pariter latore contempſerit? Ju-

a *Adverſus eum rebellante*: Sic Aldus Bon. *repellente*. Al. *rebellandi*.

b *Propter ſuperbiam*. Bon. *adverſus ſuperbiam*.




Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator [a], & judex: quam quum poneret, non ademit [b] sibi omnem potestatem; sed habet ignoscendi licentiam [d].

a *Ipse disceptator*: I. e. qui jus habet legem condendi, & abrograndi.

b *Non utique ademit*. Al. Tò *utique* non habent.

c *Sed habet ignoscendi licentiam*. Schottus protrahit hocce caput usque ad subsequentem periodum.

CAP. XX.



SI potest ignoscere, potest igitur & irasci [a]. *Cur ergo, inquiet aliquis, & qui peccant, sæpe felices sunt* [b], *& qui pie vivunt, sæpe miseri*? Quia fugitivi, & abdicati li-

a *Si potest ignoscere, potest igitur & irasci*. Al. priora tria verba, Al. adverbium, & copulam omittunt. Schottus, & Aldus nobiscum legunt.

b *Et qui peccant sæpe felices sunt* &c. Hac de caussa aliqui providentiam respuunt, vel injustitiæ ar-

ti libere vivunt, & qui sub disciplina patris, aut domini sunt, strictius, & frugalius.

---

arguunt, alii sibi blaudiuntur; sed vel pagani ipsi longa tandem experientia noverunt, & professi sunt, laneos pedes, sed ferreas manus habere Numen, quod, quos diu, ut convertantur tollerat, & in bonis vitam ducere sinit, non couversos tandem durius condemnat. Unde scriptum est Eccl. v. ℣. 4. *Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.*



Virtus enim per mala & probatur, & constat: vitia per voluptatem; nec tamen ille, qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas:

.... Sed scilicet [a] *ultima semper*
Expectanda dies homini est [b]*: dicique beatus*
Ante obitum nemo, supremaque funera debet:

ut ait poeta non insuavis. Exi-

---

a *Sed scilicet* &c. Primam vocem aliqui omittunt.

b *Homini est*: *dicique beatus*. Bon. Tò *est* non habet, & prosequitur: *dicitque ante homini obitum beatus nemo, supremaque funera debet.*

c *Poeta non insuavis*: Ovidius nempe Metam. Lib. III. a ℣. 135.



Exitus est, qui arguit felicitatem a, & nemo judicium Dei potest nec vivus effugere, nec mortuus. Habet enim potestatem & vivos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus.

---

a *Exitus est, qui arguit felicitatem*. In quibusdam Codicibus Mss., & etiam in prelo vulgatis legitur: *non insuavis exitus*. *Est qui* &c. Adeo hoc verum est. ut de quibusdam, qui dum viverent, nihil se credere, aut timere jactabant, morti tandem proximi, malum immines sero cognovisse vel inviti confessi sunt. Petrus Baelius exempla quædam, sed admodum suspecta, in contrarium refert *Repons aux quest. d'un Provinc.* Tom. 4. cap. XIII. quibus tamen nec infringit, nec destruit ea, quæ a Voetio adstruuntur *disp. Theol.* Tom. I. nec elevat testimonium infelicis Spinozæ discipuli illius, qui, teste Bern. Nievventyt. *Disc. Prælim. ad Lib. de exist. Dei*. Diutius, dissimulatis conscientiæ stimulis, tandem sub invisæ mortis ictu in hæc verba, veritate cogente prorupit: *Credo tandem, quæ hactenus negavi; sed meæ jam despero saluti, ac quieti*.



Imo, inquit a, *si irascitur Deus, statim*

---

a *Imo, inquit*, &c. Nova Atheorum objectio, cui tamen ex dictis, & infra dicendis patet responsio.

tim debuit vindicare , & pro merito quemque punire . At enim si id faceret [b] nemo superesset . Nullus est enim , qui nihil peccet , & multa sunt , quæ ad peccandum irritent ; ætas , vinolentia [c] , egestas , occasio , præmium.

---

b *Si id faceret* &c. Tò *id* in nostro Cod. desideratur . Ratio autem, quam mox Lactantius affert, testimonio innititur S. Joh. Epist. 1. cap. 1. ℣. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ; ipsi nos seducimus , & veritas in nobis non est* .

c *Ad peccandum irritent , ætas , vinolentia* &c. Al. *incitant* . Bon. *irritent* . Al. *violentia* . Nobiscum legunt Aldus, & Schottus .



5

Adeo subjecta est peccato fragilitas carnis , qua induti sumus , ut nisi huic necessitati [a] Deus parceret , nimium fortasse pauci viverent . Propter hanc caussam patientissimus est , & iram suam continet . Nam quia per-

---

a *Nisi huic necessitati* . Intellige conditionem depravatæ naturæ , quæ etsi suis viribus diu nequeat peccata vitare , viribus tamen gratiæ , quam Deus singulis præbet hominibus , omnes , si volumus , sine peccato post baptismum vivere possumus ; & iccirco merito plectimur , quia scientes, & volentes peccamus .

perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam quoque ejus esse perfectam, quæ & ipsa virtus est [b].

b *Quæ & ipsa virtus est*. Bon. *quia & ipsa* &c. Sæpe in scripturis sanctis dicitur Deus *summæ misericors, & patiens*; Sed ad rem Psal. VII. ℣. 12. ait Propheta: *Deus judex justus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies?*

6

Quam permulti [a] ex peccatoribus justi posterius effecti sunt, ex malis boni, & ex improbis continentes. Quam multi in prima ætate turpes, & omnium judicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt. Quod utique non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur [b].

a *Quam permulti*. Al. *quam multi*.
b *Si omne peccatum pœna sequeretur*. Pessime in Nostro Bon. Cod. legitur: *nisi omne peccatum* &c.

7

Leges publicæ manifestos reos damnant: sed plurimi sunt, quorum peccata occultantur, plurimi, qui delatorem comprimunt, aut

aut precibus, aut præmio [a]: plurimi qui judicia eludunt [b] per gratiam, vel potentiam.

---

a *Precibus, aut præmio*: Bon. *prae ibus adpraemio*.

b *Eludunt*. Bon. *ludunt*. Al. *elidunt*. Lego cum aliis, quamquam lectio nostri Codicis non sit omnino reprobanda.

8

Quod si omnes [a], qui humanam pœnam effugiunt, censura divina damnaret: esset homo aut rarus, aut etiam nullus [b] in terra.

---

a *Quod si omnes*. Al. *quod si eos omnes*.

b *Esset homo aut rarus, aut etiam nullus*. Al. Tò *aut*. Al. cum Bon. *etiam* omittunt.

9

Denique vel una illa caussa [a] delendi ge-

---

a *Denique vel una illa caussa* &c. Aliam heic dissolvendam objectionem sibi Noster proponit ab Idololatria desumpta; quoniam quum hæc totum pene orbem invasisset, caussam Deo, si ira in eum caderet, genus humanum penitus delendi, esse potuisset. Non fecit, ergo, inferunt hodie Latitudinarii, ac Deistæ, hominum facta non curat Omnipotens. Quibus quoque infra respondetur seg. 12.

generis humani justa esse potuisset, quod homines, contempto Deo vivo, terrenis, fragilibusque figmentis honorem divinum, tanquam cœlestibus deferunt [b], adorantes opera humanis digitis laborata.

b *Tamquam Cœlestibus deferunt*. Al. tamquam *potentibus*.

10

Quumque illos Deus artifex; ore sublimi, statu recto figuratos, ad contemplationem cæli, & notitiam Dei excitaverit, curvare se ad terram maluerunt, & pecudum more humi repere [a].

a *Et pecudum more humi repere*. Bon. *humani reperere*. Al. hæc omnia omittunt. Al. *pecudum modo*, *humilis* &c.

11

Humilis enim, & curvus, & pronus est, qui ab aspectu cæli, Deique patris aversus, terrena, quæ calcare [a] debuerat, id est, de terra ficta, & formata, veneratur.

In

a *Terrena*, *quæ calcare*: Isæus: *terram*, *quam*.



In tanta igitur impietate hominum [a], tantisque peccatis id assequitur patientia Dei [b], ut se ipsi homines, damnatis vitæ prioris erroribus, corrigant. Denique & boni sunt, justique multi [c], & abjectis terre-

 nis

---

a *In tanta igitur impietate hominum* &c. Qui expectant heic Lactantii responsionem, mirabuntur, sine dubio, videntes illum, objectionem, quam ipsi maximam putant, quasi levissimam præterire, & tamquam ex transverso cedere. Non ita tamen cordati existimabunt, qui norint, judicia Dei esse inscrutabilia, quæ nobis, ut credenda, non ut discutienda proponuntur. Olim delevit Deus genus humanum diluvio universali, octo dumtaxat hominibus in toto orbe servatis. Igne Sodomorum Civitates consumpsit; Terræ motibus Urbes sæpe contrivit, peste, bello, captivitate, persecutionibus, fame, ac pluribus flagellorum generibus contumaces homines percussit; sed non hac via occurrendum est incredulis, qui statim diverticula quærerent, quæ ab experto debent præoccupari. Hac arte Veteranus orator utitur, ut suavem divinæ Providentiæ oeconomiam demonstret, qua Deus patientia assequi voluit, quod severitate perdere recusavit.

b *Patientia Dei*. Al. cum Isæo: *potentia Dei*.

c *Denique & boni sunt, justique multi*. En secunda ratio, quare Deus homines malos non statim perdit; propter bonos nimirum, quos a pravis exer-

ceri

nis cultibus [d], majestatem Dei singularis agnoscunt.

ceri permittit, ut ipsi æternum mereantur præmium, & exemplis cæteros doceant viam regiam, qua itur ad patriam. Quum Elias se solum, Deo fidelem servum esse reservatum, crederet in persecutione Jezabelis, septem millia, id est, plurimas justorum chiliades, secundum Scripturarum phrasim, ostendit ei Dominus, *quorum genua non sunt curvata ante Belial.* III. Reg. cap. xix. ℣. 18. Quod autem propter bonos paucos, multos patiatur improbos Deus, patet ex iis, quæ leguntur Gen. xviii. a ℣. 24. ad 32., in quorum postremo Abrahæ Deus promisit, se non deleturum Sodomam, Gomorrham, aliasque duas civitates, regionesque finitimas, si decem justos in omni populo illo invenisset: quemadmodum propter Loth Urbs Segor incolumis servata est: Gen. xix. ℣. 21. in illarum incendio.

d *Terrenis cultibus*. Bon. *cultoribus*. Al. *culturis*. Sic de Constantino Magno idem ipse Lactantius tradidit Lib. I. cap. 1. seq. 13. ex cujus conversione tam grande emolumentum Ecclesia Christi reportavit, ut Idololatria eidem omnino decedere sit coacta.

13

Sed quum maxima, & utilissima sit Dei patientia, tamen quamvis sero, noxios punit [a], nec patitur longius procedere, quum eos

a *Quamvis sero noxios punit*. Hoc autem factis demonstrandum sibi reseravit in librum *de Mortibus Persecutorum*.

eos inemendabiles esse perviderit [b].

b *Quum eos inemendabiles esse perviderit*: Heum. pronomen anteponendum judicat: sed, ut solet, quare id faciendum omnino sit, non ostendit, quum tam ex Lactantio, quam ex probatis scriptoribus utroque modo optime dici possit.

C A P. XXI.



SUperest una, & extrema quæstio [a]: Nam dixerit fortasse quispiam: *adeo non irasci Deum, ut & in præceptis* [b] *hominem irasci vatet*.

a *Superest una, & extrema quæstio*. Al. *una, Maxima, & extrema*. Heum. *una, & Maxima*.
b *Irasci Deum, ut & in præceptis*. Hæc omnia in Codice Nostro Bon. desiderantur. Aldus *ut etiam in præceptis*. Al. *quum ipse in præceptis*.
c *Irasci vetet*. Primum verbum Al. omittunt. Vide *Psal.* XXXVI. ℣. 8. *desine ab ira* &c. & *ad Rom.* XII. ℣. 19.



Possem dicere [a], quod ira hominis re- fre-

a *Possem dicere*. Bon. *possem discere* Betulejus heic:

frenanda fuerit, quia injuste sæpe irascitur, & præsentem habet motum, quia temporalis est.

---

heic: *Hactenus*, inquit, *mihi magna contentio cum Lactantio fuit, dum humanis rationibus divinam iram ex humana metiretur fragilitate. Jam autem quia dicit, iram Dei, sicut ipsum etiam Deum, æternam, nihil habeo, quod repugnem* &c. Sero quidem quum antequam scriptoris alicujus sententia damnetur, non una, aut alia propositio expendi debet, iis prætermissis, *quæ antecedunt, & consequuntur*; quod utinam aliquando intelligant librorum arbitrarii *censores quidam*, qui tamquam ii, qui nudi saltant in convivio, sic de libris judicant, quorum vel titulos, vel paginas quasdam perlustrarunt.



Itaque ne fierent ea, quæ faciunt per iram & humiles, & mediocres, & magni reges, temperari debuit [a] furor ejus, & comprimi, ne mentis impos in bile aliquod inexpiabile [b] facinus admitteret. Deus autem non

---

a Temperari debuit. Al. *debuerat*. Al. *debuerit*. Al. *debet*.

b *Ne mentis impos in bile aliquod inexpiabile*. Bon. Cod. *ne postea aliquod* &c. Al. *ne mentis impossibile*: Unde Janus Gulielm. *Quæst. in Plaut. Menæch.* cap. IV. lectionem restituit, quam pessime Librarii corru-

non ad præſens iraſcitur, quia æternus eſt [c], perfectæque virtutis, & numquam, niſi merito iraſcitur.

corruperant, vel tres voces ad unam redigendo, vel duas omittendo poſtremas.

c *Deus autem non ad præſens iraſcitur, quia æternus eſt &c.* Al. *Deus autem & non* &c. *Et quia &c.*

4

Sed tamen non ita res ſe habet. Nam ſi omnino prohiberet iraſci, ipſe quodammodo reprehenſor opificii ſui fuiſſet, quia a principio iram [a] jecori hominis [b] indidiſſet. Siquidem creditur cauſſam [c] hujus commotionis in humore fellis contineri.

 Non

a *A principio iram*. Deſunt iſta Cod. Bon. Al. *in principio*.

b *In jecore hominis*. Al. cum Bun. *in felle*, ne ſibi contradixiſſe videatur Lactantius; vide notam ſequentem.

c *In humore fellis contineri. De Opif. Dei.* C.XIV. & L. VI. cap. XV. Iram Lactan. in felle, non in jecore poſuerat; hic tamen ideo jecori inditam dixit, ſicuti docet Craanen *in diſſ. Phyſico Medica de Homine* c. CXXVII. quia in hepate bilis ſecretio fit, ibique fellis veſſicula, ſeu ciſtula, multas radices habet, & tubulos, per quos bilis ad eam perfluit, & ab aliis umoribus ſeparatur, ut ſuo loco, ubi ſupra jam indicato, videri poterit.



Non igitur in totum prohibet [a] irasci, quia is affectus necessario datus est: sed prohibet in ira permanere; ira enim mortalium debet esse mortalis [b]: nam si maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem sempiternam.

---

a *In totum prohibet irasci*. Al. particulam *in* omittunt. Bon. Cod, *in tantum*.

b *Ira enim mortalium debet esse mortalis*. Ideo ad Eph. 14. ℣. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*.



Denique rursum quum irasci quidem [a], sed tamen non peccare præcepit [b]: non utique evellit iram radicitus, sed temparavit, ut in omni castigatione modum, ac justitiam teneremus.

---

a *Denique rursum quum irasci quidem*. Al. *denique rursus quum* &c.

b *Præcipit*. Bon. *præcipes*. Vide eandem Epist. *ad Ephes.* ubi supra, & Psalm. IV. ℣. 5. ex quo verba illa desumpsit Apostolus: *Irascimini, & nolite peccare*.



Qui ergo nos irasci [a] jubet: ipse utique ira-

irascitur; qui placari celerius præcepit, est utique placabilis. Ea enim præcepit [b], quæ sint justa, & rebus utilia communibus.

a *Qui ergo nos irasci jubet*. Al. *irasci nos jubet*.
b *Ea enim præcipit*. Al. *siquidem præcipit*.

8

Sed quia dixeram non esse iram Dei temporalem, sicut hominis, qui præsentanea commotione fervescit, nec facile regere se potest propter fragilitatem: intelligere debemus, quia sit [a] æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere: sed rursum quia virtute sit maxima præditus, in potestate habere iram suam, nec ab ea regi; sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari; quod utique non repugnat superiori.

a *Intelligere debemus, quia sit* &c. Al. *non ideo intelligere debemus, quia sit* &c.

9

Nam si prorsus immortalis fuisset ira ejus, non esset satisfationi, aut gratiæ post delictum lucus [a]: quum ipse homines ante soli-

a *Post delictum locus*. Bon. *positus locus*; quam lectionem etiam Aldus indicat.

lis occasum jubeat reconciliari [b]; sed ira divina in æternum manet adversus eos, qui peccant in æternum [c].

---

b *Jubeat reconciliari*. Al. *reconciliari jubet*. Vide paullo supra, quæ ex Epist. *ad Ephes.* recitavimus; ubi ait Betulejus. *Non Christi; sed Pauli vox hæc est. Ergo tantum authoritatis tribuit scriptis Pauli, ut oraculi loco habeat, & a Numine Divino dictata sint*. Sed quid ais, hominum dementissime? *Numquid aliud judex nunciat; aliud præco clamat?*

c *Sed ira divina in æternum manet adversus eos; qui peccant in æternum*. Origenis error, & recentiorum quorundam hac ratione refellitur. Vide Diss. XXXIII. cap. V. §. II.

10

Itaque Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus [a], quæ omnia sunt corru-

---

a *Itaque Deus non thure, non hostia, non pretiosis muneribus* &c. Idem Betulejus heic notat. *Si Lactantius hæc hodie scriberet, pro Lutherano haberetur. Observa quod nullam Missæ, aut ceremoniarum mentionem hic faciat, ubi Dei ira placanda est. Usque adeo novam religionem ignorat antiquitas*. Quasi inter catholicos, qui Lutheranos, cæterosque hæreticos execrantur, aliquis sit, qui putet, Deum thure placari; aut Missæ Sagrificio sine pœnitentia, & satisfactione. Potius Lutherani, aliique Acatholici monendi

corruptibilia, sed morum emendatione placatur: & qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit: iccirco enim non ad præsens noxium quemque [b] punit, ut habeat homo resipiscendi, & corrigiendi sui [c] facultatem.

di sunt, ut per veram, & salutiferam pœnitentiam; quæ unice in vera Christi Ecclesia est, Deo satisfaciant, quod ipsi negant necessarium esse, & Lactantius cum omni antiquitate sæpissime,& heic etiam inculcat.Incruentum autem Christi Domini sacrificium, quod in missa peragitur, vere propitiatorium esse,docet Ecclesia, per ipsumque fieri, ut qui vere contriti sint,veniam consequantur, & gratiam, ut magis conterantur, & ipsum veræ pœnitentiæ donum recipiant &c. Vide Diss. xxxv. cap. II. §. VI.

b *Noxium quemque*. Al. *maximum quemque*. Al. *aliquem*. Sic Aldus etiam, & Schottus.

c *Resipiscendi, & corrigendi sui*. Al. omittunt. *Et corrigendi*.

C A P. XXII.

1

HÆc habui, quæ de Ira Dei [a] dicerem, Donate charissime[b], ut scires quemadmo-

a *De Ira Dei*: Vox ultima in nostro Codice desideratur.

b *Donate carissime*: Sic ad L. de M. P. c.1. seg.1. cap. XVI. seg. 3. cap. XXXV. seg. 1. cap. LII. seg.5.

modum refellas, qui Deum faciunt immobilem [c].

c *Quemadmodum refellas eos, qui Deum faciunt immobilem*. Bon. *qui eam faciunt* &c. Al. *refelleres qui Deum* &c.

2

Restat, ut more Ciceronis utamur epilogo [a] ad perorandum; ac sicut [b] ille in Tusculanis de morte disserens [c] fecit, ita nos in hoc opere testimonia divina, quibus credi possit, adhibere debemus, ut illorum persuasionem revincamus [d], qui sine ira Deum esse credentes, dissolvunt omnem religionem, sine qua (ut ostendimus) [e] aut immanitate belluis, aut stultitia pecudibus adæquamur: in sola enim religione, id est, in Dei summi notione sapientia est.

a *More Ciceronis utamur epilogo*. Quem morem semper servavit in suis libris Lactantius.

b *Ac sicut ille*. Sic etiam Schottus, & Aldus. Al. copulam omittunt.

c *De more differens*. Bon. *diffens*.

d *Persuasionem revincamus*. Sic etiam Aldus. Al. *vincamus*.


e *Ut ostendimus*. Scilicet cap. XII.

3

Prophetæ universi divino spiritu repleti

ti [a] nihil aliud, quam de gratia Dei erga justos, & de ira ejus adversus impios loquuntur, quorum testimonia nobis quidem satis sunt: verum iis quoniam non credunt isti, qui sapientiam capillis, & habitu jactant [b], ratione quoque, & argumentis a nobis fuerant refellendi [c].

a *Prophetæ divino Spiritu repleti*. En aliud Testimonium de Spiritu Sancto. Bon. *quam Prophetæ.*
b *Capillis, & habitu jactant*. Vide ad Lib. III. cap. xxv., & ad L. v. cap. II.
c *A nobis fuerant refellendi*. Al. *fuerunt a nobis refellendi*.



Sic enim præpostere agitur, ut humana divinis tribuant authoritatem, quum potius humanis divina debuerint [a]. Quæ nunc sane omittamus, ne nihil apud istos agamus, & in infinitum materia procedat.

Ea

a *Ut humana divinis tribuant authoritatem; quum potius humanis divina debuerint*. Scilicet *authoritatem tribuere*. Perperam Al. legunt *humanam .... divinam*. Al. *debeant*. Al. *dederent*. Nobiscum legunt Aldus, & Schottus, quorum prior ait: *Fortasse erit expungendum si legatur humana ...., divina*; indicando *M*



Ea igitur quæramus teſtimonia, quibus illi poſſint aut credere, aut certe non repugnare. Sibyllas multas fuiſſe, plurimi [a], & maximi authores tradiderunt: Græcorum, Ariſto Chius [b], & Apollodorus Erythræus [c]: noſtrorum, Varro, & Feneſtella [d]. Hi omnes præcipuam, & nobilem præter cæteras Erythræam [e] fuiſſe, commemorant.

a *Sibyllas multas fuiſſe plurimi*. Al. Medias duas voces omittunt.

b *Ariſto Chius*. Al. *Ariſtarchus*. Al. *Ariſtochius*: Al. *Ariſtonicus*. Al. *Ariſtorichus*. Al. *Ariſtomeus*. Bon. *Ariſto cus*. Aldus: *Ariſto Stoicus*. De eo diximus L.VII. cap.VII. ſeg.II. & Diſſ.XL. c.XVIII. §.V

c *Apollodorus Erythræus*. Vide L.I. cap.VI. ſeg.9.

d *Varro*, & *Feneſtella*. Vide ibidem.

e *Erythræam*: De qua ibidem ſeg.9. & 14.



Apollodorus quidem, ut de civi [a], ac populari ſua,gloriatur: Feneſtella vero etiam legatos Erythras [b] a Senatu eſſe miſſos refert,

a *Apollodorus quidem, ut de Civi*: Sic optime. Vide Voſſium L.II. *de Analog.* cap. XII. Al. *cive*.

b *Erythras*. Vide ad L.I. cap.VI. ſeg.14.

fert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur, & ea Coss. Curio, & Octavius [c] in Capitolio, quod tunc erat, curante Q. Catulo restitutum, ponenda curarent.

c *Coss. Curio, & Gn. Octavius*. Sic etiam Schottus. Scilicet qui Consules fuere an. ab V.C. DCLXXVII. aut sequenti; non autem DCXXXVII. ut editum est ad L. I. cap. VII. seg. 14. (c)

7

Apud hanc de summo conditore [a] rerum Deo hujusmodi versus reperiuntur [b]:

Ἄφθαρτος κτίστης αἰώνιος αἰθέρα ναίων,
Τοῖς τ' ἀκάκοις ἄκακον προφέρων πολὺ μείζονα μισθὸν,
Τοῖς δὲ κακοῖς, ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων.

Rur-

a *De summo conditore*. Al. *de summo, & conditore*.

b *Reperiuntur*. In antiquo Cod. Bon. tertio sic latine versus isti leguntur, quos resperies apud Theop. ad Autolyc. Lib.II. cap. XXXVI. non sine aliqua verborum variatione. Et ex eodem in editione Orac. Sibyl. Gall. p. 29.

Incorruptibilis, ac æternus conditor in aethere habitans,
Bonis bonum præferens multo majorem mercedem,
Malis autem & iram, & injustis furorem colligens.

8

Rurſus alio loco enumerans, quibus maxime facinoribus incitetur Deus, hæc retulit [a]:

Φεῦγε δ' λατρείας ἀνόμους θεῷ ζῶντι λάτρευε.
Μοιχείας τε φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν,
Ἰδίαν γονεὰν παίδων τρέφε μηδὲ φόνευε.
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται ὅστις ἁμάρτῃ.

Indignatur ergo adverſus peccatores [b].

---

a *Hæc retulit*. Al. *intulit*. In eodem tertio Bon. Ms Cod. hæc ſequuntur latine reddita, quæ Græce in aliis habentur L. III. Orac. Sibyll. pag. in edit. Gall. 475. cum aliquali varietate.

Fuge ſceleratas religiones, & vivo Deo famulare.
Adulteria cave, & Maſculi inſanum cubile:
Propriam generationem filiorum nutrias, & ne occidas.
Etenim immortalis ſuccenſebit ei, qui peccabit.

b *Indignatur ergo adverſus Peccatores*. Hæc ab aliquibus omittuntur; ſed nobiſcum reddidit Schottus.

CAP. XXIII.

I

VErum quia plures (ut oſtendi [a]) Sibyllæ a doctiſſimis authoribus fuiſſe tradun-

duntur, unius testimonium satis non sit ad confirmandam, sicut intendimus, veritatem.

a *Vt ostendi*. Bon. *ut os ostendi*. Vide cap. antecedenti seg. 5. seq., & L. I. cap. VI. seg. 8.

2

Cimmeæ [a] quidem volumina, quibus Romanorum fata [b] conscripta sunt, in arcanis habentur [c]; cæterarum tamen fere omnium libelli, quo minus in usu sint omnibus, non vetantur.

a *Cimmeæ* in Nostro Bon. Ms. Cod. hocce vocabulum punctis insignitur, legiturque: *Cumeæ* more corrigendorum.

b *Romanorum fata*: Hinc Sibyllina carmina a Romanis dicta sunt: *Fatales libri. Fatalia jussa. Fata Reipublicæ*: Vide Sveton. in Cæsar. Livium Lib.V. c.XIV.

c *In arcanis habentur*. Vide ad L.I. c.VI.seg.9.& seg.13. Ubi hæc Sibylla *Cimmæa*, aut *Cimæa* dicitur, diversa scilicet a Cumana, ut Diss.XL. c.II. §.VIII. videbimus. Adde Epitom. cap. V. seg.1. & seg.3.

3

Ex quibus alia denuntians universis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorsa est [a]:

Ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ [b],

Ἔσχατον εἰς αἰῶνα θεοῦ μηνύματα φαίνω,

Πᾶσι προφητεύσασα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι.

a 'Ερχομένης &c. Quæ sic latinæ ad oram nostri Codicis conversa leguntur, non solum diverso charactere impressa, sed minio, auroque notata:

Veniente ira magna ad mundum pertinacem
Postremis temporibus Dei edicta pando
Omnibus prædicens oppidatim hominibus.

Hæc Græce habentur in editione Gallæana Orac. Sibyl. pag. 676. initio Lib. VIII. de more non sine variatione.



Alia quoque per indignationem Dei adversus injustos cataclysmum [a] priore sæculo factum esse dixit, ut malitia generis humani extingueretur [b]:

Ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο
Αὐταῖσιν πολίεσσι καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν.
Γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Simi-

a *Cataclysmum*. Vide L. II. cap. XI. a seg. 9.

b *Extingueretur*. In Bon. Ms. Cod. sic latina lectio se habet:

. . . . *Ex quo irato super Cœlesti Deo*
Ipsis Urbibus, & hominibus cunctis
Terram cooperuit mare diluvio rupto.

Græce autem leguntur in editione Gallæna L. IV. pag. 492.

§ 5 §

Simili modo deflagrationem poſtea futuram vaticinata eſt, qua rurſus impietas hominum deleatur [a] :

Καὶ τότε τὴν ὀργὴν θεὸν ὀυκέτι πραΰνοντα ;
Ἀλλ᾽ ἐξεμβρίθοντα καὶ ἐξολύοντά τε γέννας
Ἀνθρώπων ἅπασαν ὑπ᾽ ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

a *Deleatur*. Sic latine proſequitur in ſæpe laudato Codice;

Et tunc Deum iram non amplius placantem,
Sed aggravantem, & perdentem genus
Hominum, ac totum id incendio depopulantem.

Græce habentur ubi ſupra pag. 529. ſeq.

§ 6 §

Unde apud Naſonem de Jove ita dicitur [a] :

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur: affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

a *Ita dicitur*: Ovid. Metam. L. I. ℣. 256.

§ 7 §

Quod tunc fiat neceſſe eſt, quum honor,

&cultus Dei ſummi apud homines interierit. Eadem tamen placari eum pœnitentia factorum, & ſui emendatione conteſtans; hæc addidit [a]:

Ἀλλ' ἐλέει μετάθεσθε βροτοὶ δὴ, μὴ δὲ πρὸς ὀργὴν
Παντοίην ἀγάγητε θεὸν μέγαν.

Item paullo poſt [b]:

Οὐκ ὀλέσει, παύσει δὲ πάλιν χόλον εὖτ' ἂν ἅπαντες
Εὐσεβίην περὶ θυμῷ, ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε.

---

a *Hæc addidit*. Latinus Interpres ibidem:
Sed miſericordia convertimini homines nunc, neque ad iram
Variam ducite Deum Magnum.
Græce extant in editione ſæpius laudata L.IV.p.530, cum ſolita immutatione.

b *Item paullo poſt*. Sic ſubdit interps:
Nec perdet. Sedabit autem iterum iram, quum omnes
Pietatem ex animo in præcordiis exercueritis.
Græce habentur in editione Gall. pag. 537. L. IV.

8

Deinde alia Sibylla cæleſtium, terrenorumque genitorem diligi oportere denuntiat, ne ad perdendos homines indignatio ejus inſurgat [a]:

Μή ποτε θυμωθεὶς θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ

Πᾶν

Πᾶν γένος ἀνθρώπων βίοτόν τε καὶ φῦλον ἀναιδὲς.
Δεῖ στέργειν γενετῆρα θεὸν σοφὸν αἰὲν ἐόντα.

a *Insurgat*. Sic prosequitur Latina interpretatio:
Ne forte iratus incorruptibilis Deus
Omne genus hominum perdat, vitam, & gentem improbam.
Oportet genitorem Deum amare, qui sapiens semper est.
Editio Oracul. Sibyll. Gallæa exhibet hæc Carmina Græce L. v. p. 618.

§ 9 §

Ex his apparet, vanas esse rationes Philosophorum, qui Deum putant sine ira[a]: & inter cæteras laudes ejus id ponunt, quod est inutilissimum, detrahentes[b] ei, quod est rebus humanis maxime necessarium, per quod constat ipsa majestas.

a *Qui Deum putant sine ira*. Bon. *quià Dominum* &c. Al. addunt: *esse*.
b *Quod est inutilissimum, detrahentes* &c. Al. *quod est contra ipsam majestatem*.

§ 10 §

Regnum hoc, imperiumque terrenum nisi metus custodiat, solvitur. Aufer iram regi, non modo nemo parebit; sed etiam de fastigio præcipitabitur: imo vero cuilibet

humili eripe hunc affectum, quis eum non ſpoliabit? quis eum non deridebit[a]? Quis non afficiet injuria?

a *Quis eum non deridebit?* Hæc in quibuſdam deſiderantur. Al. Tò *eum* non habent.

11

Ita nec indumenta, nec ſedem, nec victum poterit habere, aliis quicquid habuerit diripientibus: nedum putemus cæleſtis imperii majeſtatem ſine ira, & metu poſſe conſiſtere.

12

Apollo Mileſius[a] de Judæorum religione conſultus, reſponſo hoc indidit[b]:

Ἦδε θεὸν βασιλῆα καὶ γενετῆρα πρὸ πάντων,
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Si

a *Apollo Mileſius*: De hoc Oraculo diximus ad Lib. IV. cap. XIII. ſeg. 11.

b *Reſponſo hoc indidit* Bon. *reſponſo introducit*. Schottus; *Hæc edidit*. In ſæpe laudato Codice ſequitur latinus interpres:

Et Deum Regem, & genitorem omnium,
Quem terra contremiſcit, Cælumque, & Mare
Et latebræ terreæ, & Dæmones abhorreſcunt.

13

Si tam lenis eſt, quam Philopſophi volunt, quomodo ad nutum ejus non modo dæmones, & miniſtri tantæ poteſtatis [a]; ſed etiam cælum, & terra, & rerum natura omnis contremiſcit? Si enim nullus aliter ſervit, niſi coactus, omne igitur imperium metu conſtat [b]; metus autem per iram: nam ſi non moveatur quis adverſus parere nolentem, nec cogi poterit ad obſequium.

---

a *Et miniſtri tantæ poteſtatis*. Al. *tandem poteſtatis*. Heum. Marte ſuo. *Tartareæ poteſtatis*.
b *Metu conſtat*. Al. *per metum*.

14

Conſulat unuſquiſque affectus ſuos: jam intelliget, neminem poſſe ſine ira, & caſtigatione imperio ſubjugari. Ubi ergo ira non fuerit, imperium quoque non erit. Deus autem habet imperium: ergo & iram, qua conſtat imperium, habeat neceſſe eſt.

C A P. XXIV.



Quapropter [a] nemo vaniloquentia Philosophorum inductus [b], ad contemptum se Dei erudiat [c], quod est maximum nefas.

a *Quapropter*. Heic cum Isæo, aliisque quibusdam caput XXIV. inchoamus, quod alii cum antecedenti connectunt.


b *Nemo vaniloquentia Philosophorum inductus*: Bon. *nemo vaniloquentia in Filosoforum inductum*. Al. *vana eloquentia*. Al. *viniloquentia*. Al. *indutus*.

c *Ad contemptum se Dei erudiat*. Bon. *sed Dei*.



Debemus hunc omnes & amare, quod pater est: & vereri, quod dominus: & honorificare, quod beneficus: & metuere, quod severus: utraque persona in eo venerabilis [a].

a *Utraque persona in eo venerabilis*. Scilicet *Patris*, *&* *Domini*. Vide ad L. IV. cap. IV. seg. 2.



Quis salva pietate non diligat animæ suæ parentem? aut quis impune contemnat eum, qui

qui, rerum dominator, habeat [a] in omnes veram, & æternam poteſtatem ?

---

a *Qui, rerum dominator, habeat.* Hem. *habet.* Al. *Dominium.* Al. *Dominantem.*

4

Si patrem conſideres, ortum nobis ad lucem [a], qua fruimur, ſubminiſtrat : per illum vivimus, per illum in hoſpitium mundi [b] hujus intravimus.

---

a *Ortum nobis ad lucem.* Bon. *os tuum ad lucem.*
b *In hoſpitium mundi hujus.* Al. *hujus mundi.*

5

Si Dominum cogites [a], ille nos innumerabilibus copiis alit, ille ſuſtentat, in hujus domo habitamus, hujus familia ſumus [b] : & ſi minus obſequens, quam decebat, minuſque officioſa, quam domini, & parentis immortalia merita poſcebant ; tamen plurimum proficit ad veniam conſequendam, ſi cultum ejus, notionemque teneamus, ſi abjectis humilibus, terreniſque tam rebus, quam

---

a *Si Dominum cogites.* Al. *ſi Deum.*
b *Hujus familia ſumus.* Bon. *cujus familia.*

quam bonis, cæleſtia, & divina, & ſempiterna meditemur [c]:

c *Cæleſtia, & divina, & ſempiterna meditemur.* Al. *Cæleſtia, divina.*

6

Quod ut facere poſſimus Deus nobis ſequendus eſt, Deus adorandus, & diligendus quoniam in eo eſt materia rerum, & ratio virtutum, & fons bonorum. Quid enim Deo aut potentia majus eſt, aut ratione perfectius, aut claritate luculentius [b]?

a *Deus adorandus, & diligendus.* Bon. *adorandus eſt diligendus.* Al. ultimam vocem omittunt; quam tamen etiam Aldus reſtituit.
b *Aut claritate luculentius.* Al. *charitate fragilibuſque famulari.* Vide L. II. c. 5. 6.

7

Qui quoniam nos ad ſapientiam genuit, ad juſtitiam procreavit, non eſt fas hominem relicto Deo, ſenſus, ac vitæ datore, terrenis, fragilibuſque famulari: aut quærendis temporalibus bonis inhærentem, ab innocentia, & pietate deſciſcere [a].

a *Et pietate deſciſcere.* Bon, *diſcere.* Al. *diſcedere.* Al. *diſcindere.*

8

Non faciunt beatum [a] vitiosæ, ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum irritatrix [b]; non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus, & corpori mancipatus, æterna morte

a *Non faciunt beatum*. Huc spectat fragmentum Pentadii *de Beata vita*, de quo diximus Diss. II.§.XLI. atque heic oculis lectorum meorum subjicio; sic enim legitur tam in Mss. Codicibus, quam in libello edito Lugduni apud Jacobum Chovet. MDXCVI. sub titulo: *Epigrammata, & Poemata vetera* pag. 28.

Non est, falleris, hæc beata, non est:
Quod vos creditis esse, vita non est:
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut testudineo jacere lecto,
Aut pluma latus abdidisse molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco.
Regales dapibus gravare mensas,
Et quicquid Libyco secatur arvo,
Non una positum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere casus,
Nec vano populi favore tangi,
Et stricto nihil æstuare ferro.
Hoc quisquis poterit, licebit illi
Fortunam moveat loco superbus.

b *Non opulentia libidinum irritatrix*; Bon. *non pollentia libidinum invitatrix*. Al. *incitatrix* lego cum Aldo. Ovidius Metam. L. I. pag. x. ℣. 14.

Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

te damnatur : sed sola innocentia , sola justitia [c] :

c *Sola innocentia, sola justitia*. Al. *innocentia sola, sola justitia*.

9

Cujus legitima, & digna merces est immortalitas, quam statuit a principio Deus sanctis, & incorruptis mentibus, quæ se a vitiis, & ab omni labe terrena integras, inviolatasque conservant.

10

Hujus præmii cælestis, ac sempiterna participes esse non possunt, qui fraudibus [a], rapinis, circumscriptionibus conscientiam suam polluerunt, quique injuriis hominum, ac nefariis commissis, ineluibiles [b] sibi maculas inusserunt [c].

a *Qui fraudibus*. Bon. *faucibus*. Al. *facinoribus*.
b *Nefariisque commissis ineluibiles* &c. Al. *& nefariis commissis indelebiles*. Vide L. VII. cap. XX.
c *Inusserunt*. Al. *immiserunt*.

11

Proinde universos [a] oportet, qui sapien-

a *Proinde universos*. Bon. *Proideo*.

pientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, ut possint cum Deo beatissima necessitudine copulari.

12

Auferantur impietas, discordiæ, dissensionesque turbulentæ, ac pestiferæ sopiantur, quibus humanæ societates, & publici fœderis [a] divina conjunctio rumpitur, dirimitur, dissipatur: quantum possumus, boni, ac benefici esse meditemur: si quid nobis opum, si quid suppetit copiarum, non voluptati unius, sed multorum saluti impartiatur.

---

a *Humanæ societates, & publici fœderis*. Bon. *societatis, & publicis fœdereis*.

13

Voluptas enim tam mortalis [a] est, quam corpus, cui exhibet ministerium. Justitia verò, & beneficentia tam immortales, quam mens, & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur.

---

a *Tam immortales*. Al. *immortalis*. subaudi: *sunt*.

14

Sit nobis Deus non in templis, sed in cor-

corde nostro consecratus [a]. Destructilia sunt omnia [b], quæ manu fiunt: mundemus hoc templum quod non fumo, non pulvere, sed malis cogitationibus sordidatur, quod non cereis ardentibus [c]; sed Dei claritate [d], ac luce sapientiæ illuminatur.

In

a *In corde nostro consecratus*. Vide dicta ad L. VI. cap. XXV. seg. 15.

b *Destructilia sunt omnia*. Al. *destructibilia* &c. Prudentius Peristeph. Him. X. ℣. 346. apud Bunem.

Ædem sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem.

c *Non cereis ardentibus* &c. Gallæus notas suas hocce monito sugillat. *Hæc notent Papistæ, & memores sint eorum, quæ supra hac de re fuerunt dicta*. At potius ipse, suique Sectatores monendi sunt, ut relictis hæreticorum tenebris, sapientiæ luce, de qua heic Lactantius agit, mentes suas illustrari patiantur ex Diss. XXIX. cap. VII. §. XVII.

d *Sed Dei claritate* Al. Tò *Dei* non habent.

15

In quo si Deum semper crediderimus [a] esse præsentem, cujus divinitati secreta men-


a *In quo si Deum semper crediderimus* &c. Bon. *in quo si semper Domini*.

mentis patent[b], ita vivemus, ut & propitium semper habeamus, & nunquam vereamur iratum[c].

---

b *Cujus divinitati secreta mentis patent*. Al. *ejus divinitatis potentia*.

c *Numquam vereamur iratum*. Bon. *habeamus iratum*. In Cod. Bon. post hæc verba habentur sequentia: De Ira divina exp. Lib. VIII. Incipit de Opificio divino.



FINIS.



